

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertationvm Atqve Programmatvm Crellianorvm

**Hendel, Johann Christian Hendel, Johann Christian
Halae ad Salam, 1775**

VD18 90544250

urn:nbn:de:gbv:45:1-13850


DISSERTATIONVM
ATQVE
PROGRAMMATVM
CRELLIANORVM
FASCICVLVS III.



HALAE AD SALAM
TYPIS ET SVMTV I. C. HENDEL.
1775.



Landesbibliothek Oldenburg



D 193 E 31 D

Index diff. huius fasc.

- XI. *Observationes de proprietate rei donatæ ad eum qui quasi mutuam accepit transeunte, ad L. XVIII. D. de R. C. & L. XXXVI. I. D. de A. R. D. defend. præf. Cbr. L. CRELLIVS & Gottlob Henr. Kuntzel, Dresdensis.* Vitemb. d. Apr. 731. pag. 355
- XII. *De publica ceremonia qua urbes condebantur, ex antiq. Romana, disput. præf. Cbr. L. CRELLIVS & M. Iob. Esperg, Vpsalia-Suecus.* Vitemb. d. Jul. 731. 386
- XIII. *Observationes ad L. III. D. de bonis eorum qui ante sententiam sibi mortem consciuerunt, opinioni quorundam de autochiria, quam singunt, innocentे oppositas defend. præf. Cbr. L. CRELLIVS & Carolus Rudolph Westhoff, Pouchenfis-Saxo.* Vit. Kalend. Sept. 731. 416
- XIV. *Seruitutem altius tollendi in usucapione libertatis consistere, disput. præsid. Cbr. L. CRELLIO Guilhelm. Henr. Ludouicus, Lengefeld. Misnicus.* Vit. prid. Id. Mart. 733. 427
- XV. *Omnem culpam in negotiorum gestorum iudicio præstari, disput. præf. Cbr. L. CRELLIVS & Christian. Godofr. Francke, Marienauia-Variuscus.* Vit. prid. Kal. Apr. 733. 440
- XVI. *Observationes de custodia & periculo pignoris, defend. Cbr. L. CRELLIVS & Christian. Schlegel, Iaucha Misnicus.* Vit. d. 26. Sept. 733. 462
- XVII. *De translatione mortuorum per territorium alienum; ad leg. III. §. 4. D. de sepulchro violato, disput. præf. Cbr. L. CRELLIVS & Christianus Gottbelf Velthem, Zittauiensis,* Vit. ad diem Jul. 734. 474
- XVIII. *De iure urbes muniendi & munitiones reficiendi; ex LL. Rom. & Imp. Germ. publ. disput. præf. Chr. L. CRELLIVS & Carolus Fridericus Neumann, Zittauiensis,* Vit. d. Aug. 734. 501
- XIX. *Vtrum herede instituto intra annum deliberandi mortuo substitutus admittatur? disput præf. Cbr. L. CRELLIVS & Christian. Frider. Baumann, Schneeburgensis,* Vit. d. Oct. 734. 527



XI.

OBSERVATIONES

DE PROPRIETATE REI DONATAE

AD EVM QVI QVASI MVTVAM ACCEPIT

TRANSEVNTE.

AD L. XVIII. D. DE R. C. ET. L. XXXVI. D. DE A. R. D.

VITEMBERGAE, AD D. APRIL. A. Q. S. P. E. MDCCXXXI.

§. I.

*S*uus cuique *error* attributus est: tantoque magis sumus in lubrico, *Omnis de-*
atque in proclive propendemus, quanto minus in compendio priuato, & errore per-
contrahendis administrandisque negotiis, versamur. Sed ne isti quidem plexa esse
certe, qui, quod ait comicus, satis ad quæstum sapiunt, & foro vti didi-
cerunt, sine vlla offensione elabuntur; aut cauere possunt, ne suo quodam ali-
quando errore capiantur: in illis negotiis maxime, quæ mutua voluntate,
& consensu peraguntur: quæ, nisi inter contrahentes de re tota coueniat,
vt, quid alter senserit, ab altero intelligatur; inutilia sunt, atque distra-
huntur. Nihil TULLIVS^{a)} hominum sensu & voluntate obscurius esse
arbitratur: quæ, cum in ipsum alterius animum descendere, illumque in-
trospicere non possis, ex rebus quibusdam externis, ex oculorum aurum-
que indicio, cognoscenda est. Quorum fere signorum dubia atque am-
bigua interpretatio videtur: multum cupiditate animi, & studio, peccatur:
facile spe, & desiderio, facile timore nostro, & solicitudine, decipimur,
vt, quæ ipsi optamus, eadem nobiscum etiam alios sentire, vel, quæ me-
tuimus, in quamcunque partem impetus animum conuerterit, ea euenire,
atque ab aliis indicari, arbitremur: præterea ipsa sensuum incertitudo sub-
inde vel diligentissimo imponit: interdum etiam hi, cum quibus nobis ne-
gotium est, suo errore nos seducunt, aut sententiam animi, atque volun-
tatem, signis obscuris exprimunt, rem totam in loco incerto, atque ambiguo,
relinquent. Ex quibus rebus solet illud euenire, vt ex nostro ingenio sen-
tentiam aliorum metiamur, & quæ a nobis cogitata sunt, eadem & aliis,
cum quibus paciscimur, venisse in mentem arbitremur; neque unquam ma-
gis proclives simus in errorem, quam cum de aliorum voluntate, & con-
sensu, iudicamus. Quapropter vix exerceri videoas a priuatis lites, aut res

ac-

^{a)} CIC. PRO L. MURÆNA CAP. XXXIV.

arduas in contentione, & controversia, versari, in quibus non aduersarius, se errore quodam deceptum, aut *ignorantia* sublapsum, illaque re turbatum, distractumque, esse consensum, conqueratur. Sed iacturam, quam ex errore passi sumus, tanto grauius ferimus, quanto certius vel ab aduersario, cui indignamur, in illum nos inductos, vel, quod æque nobis ingratum est, nostra culpa, arque incuria prolapsos, arbitramur. Hinc si magnum GROTIUM,^{b)} atque item etiam V. C. Nicolaum GVNBLINGIUM^{c)} audias, tota de errore perplexa tractatio videtur, quæ dubios, incertosque, quo se consilio expedituri sint, ICtos, & fere in praecipio haerentes, mirifice perturbat. Ne veteres quidem illi quorum disseatas nobis reliquias TRIBONIANI iniuria seruauit, graue illud de errore argumentum, data opera, & de industria, tractarunt, aut omnem illam doctrinam, quæ in vna cognitione posita est, ad caput suum retulerunt; sed tem totam in infinitas quaestiones dispartiti sunt, & quasi passim, atque omnia alia agentes, cum de contractibus, aut delictis exponerent, si qua species, erroris vitio corrupta, incidisset, subinde etiam de errore monuerunt. Quapropter omnes in magna varietate, & dissensione, constituti sunt, vt eorum molestum videatur sententias annumerare: & difficile sit, quæ ab illis strictim, passimque prodita fuerunt, ad vnum caput reuocare, aut certo definire, quam perperuo regulam in respondendo sequi debeamus. Haec incertitudo omnes fere negotiorum partes occupauit. Alii, ne de corpore quidem consentiunt, & negotium impeditum respondentibus proponunt: alii in materia, & qualitate rerum, de quibus contrahunt, decipiuntur: alii, vt sua quemque cupiditas, atque incuria, fecellit, in alio errore, atque *ignorantia*, versantur: de quibus rebus magna veterum dissensione est certatum. Sed illa grauior disceptatio videtur, cum ne de ipso quidem negotio, quod gerunt, in vnam sententiam conueniunt, sed in *titulo*, & *caussa*, ex qua res petitur, dissentient, idque ipsum, quod res gestas maxime continet, ignorant: quod solet in primis evenire, cum de *transfrendis dominii tractatur*. Adeo appetentes sunt multi rerum quaerendarum, vt velle se illas sibi habere, omnes norint; qua *caussa*, quo iure illas accipient, in parvo ponant discrimine: ipsis qui sint, vt ait CATULLVS noster, quid agant, atque moliantur? nesciant: magis de re tenenda, quam de *titulo & caussa* transferendi dominii laborent. Quae si diuidicari non possit; necesse est, omnia difficulti errore implicari, multis dissensionibus peruersti.

§. II.

^{b)} GROT. de I. B. & P. lib. II. cap. XI, 6.
p. 207.

^{c)} GVNBLINGIAN. P. XXXIII.



§. II.

Eiusmodi species aliquando **IVLIANVM**, atque **VLPIANVM**, ICtos **Iuliani at-**
exercebat. Proponebatur: *donandi animo dominum nummos tradidisse*, que *Vlpianii*
quos alter, deceptus quodam errore, quasi mutuos accepit, veram cau-^{dissentio de}
lam, ignorauit. Dubitatum, *an nummi accipientis facti sint*, cuius *error expe-*
prohibuerat, ne vterque in eundem titulum, ex quo transferri dominium
possit, consentirent. Sed cum donationis, tum mutui causia sufficeret, ut
nummorum traditorum dominium transiret, si in idem negotium vtriusque
sententia & voluntas concurrisset. **IVLIANO L. 36.** *D. de A. R. D.*
non visus est accipientis error, ne proprietas ad eum transferretur, prohi-
bere. Audiamus **IVLIANVM:** „*cum in corpus quidem, quod traditur,*
consentiamus, in causa vero dissentiamus: non animaduerto, cur ineffi-
cax sit traditio. Veluti si ego credam, me ex testamento tibi obliga-
tum esse, ut fundum tradam, tu existimes, ex stipulati tibi eum deberi.
Nam & si pecuniam numeratam tibi tradam, donandi gratia, tu eam,
quasi creditam, accipias: constat, proprietatem ad te transire, nec im-
pedimento esse, quod circa causam dandi, atque accipiendi, dissentiri-
mus.” Habes verba **IVLIANI.** Sed **VLPIANVS**, securus juris regu-
*lam, quam & **IAVOLENVS L. 55.** *D. de O. & A. & POMPONIVS*
L. 57. D. eod. tit. proponunt: „*in omnibus negotiis contrahendis, siue*
bona fide sint, siue non sint, si error aliquis interueniat, vt aliud sentiat,
qui emit, aliud, qui cum his contrahit, nihil valere illorum, quae acta
sunt, & maxime in illis rebus, quae dominium transferunt, concurrere
debere ex viraque parte afferum contrahentium, & siue ea venditio,
siue donatio fuerit, siue quaelibet alia causa contrahendi, nisi animus vtriusque
consentiat, illud, quod inchoatum est, non perfici, putavit:,, atque ex
*illa ratione **L. 18.** *D. de R. C.* nummos, ut donatos, aut mutuos, ac-*
cipient non adquiri, hinc extantes vindicari potius, consumptos condici,
condicentem vero doli mali exceptione repelli posse arbitratus est. „*Si ego,*
inquit, pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam acci-
*pias, **IVLIANVS** scribit, donationem non esse: sed an mutua sit, viden-*
dum. Et puto: nec mutuam esse: magisque nummos accipientis non fieri,
cum alia opinione acceperit. Quare si eos consumperit, licet condicione
teneatur, tamen doli exceptione uti poterit; quia secundum voluntatem
dantis nummi sunt consumpti., Sed ne, temere **VLPIANVM**, aut for-
te fortuna in illam mentem incidisse, existimes, illud prohibet, quod tam
*gravis ipsi haec causa esse visa est, ut se in illa etiam a **IVLIANO** sciungeret,*
atque in partem aduersam digredieretur, desereretque auctoritatem maximi
*& amicissimi ICti, cui **VLPIANVS** tantum non omnia tribuere solebat:*
cuimus sententiam, si cum aliis committeretur, habere maximam humanita-
*tem,**

rem, L. 7. §. 1. D. de dol. mal. except. & sibi probabilem L. 1. §. 2. D. pro dot. & benignam, ac verissimam, videri, L. 4. D. de diuort. L. 15. D. de hered. instit. iusque, quo res publica vitatur, continere, L. 9. §. 1. D. de stip. seru. fatebatur: quem etiam, cum de errore, de quo iam cum IVLIANO controversiam exerceat, disputatum esset, omnium maxime sequebatur, L. 15. D. de iurisd. L. 2. pr. D. de iud. e cuius responsis sibi auctoritatem & opinionem veritatis maximam quaerebat: ex quo sua fere omnia, tanquam ex fonte, repetebat, quod L. 2. §. 2. D. solut. matr. L. 11. D. quod fals. tut. L. 1. §. 17. D. de magistr. conuen. L. 10. pr. D. de curat. L. 6. §. 3. D. de hered. instit. & omnia fere ex libris ad Sabinum, & edictum, fragmenta indicant: ut ex IVLIANO, quasi ex tripode, ius dixisse VLPIANVS videatur; a quo denique vix vnquam, nisi cum a multis aliis antea notatus esset IVLIANVS, atque excusatione defendi non posset, discedere audebat, L. 16. D. de iudic. L. 42. pr. D. de A. vel O. her. cui denique alias non, nisi modeste, & subdubitanter controversiam mouebat: L. 37. D. de R. vint. cui se vni omnium maxime addixisse credebatur. Ex quibus rebus intelligitur, omnino non ferendam VLPIANO IVLIANI sententiam, quam tanto studio impugnat, sed enor mem, atque incongruam, videri. Neque tamen IVLIANVS rem negligenter tractauit; sed, quasi subductis rationibus omnibus, cum singula, quae cogitari possent, excusisset: non animaduertit; nihil omnino rationis deprehendit, cur inefficax sit traditio, quantius in causis inter nos dissidentiamus. Vides ICtos, quasi palmam, ad quam concurrendum sit, in medio positam haberent, studio non pepercisse; sed cum multa grauiter, & probabiler, in utramque sententiam dici possent, magna de illo argumento contentione certauisse. Non ignoro, quae a viris, etiam magnis, atque nobibus, dicuntur, ut VLPIANVM cum IVLIANO in confessionem, & gratiam, reducant. V. C. GERARDVS NOOT^{d)} parum abest, quin desperet. Operae premium existimo, rem repetere ab origine: ut, quid uerque senserit, & in quam partem concedendum esse videatur, statuamus.

§. III.

Quid inter errorem, du- Primo igitur, quis sit ille error, qui impedimento consensui esse pos-
erore, du- videamus. Si veteres ICtos audias, vix est, quod errorem ab igno-
bitationem, videamus. Si veteres ICtos audias, vix est, quod errorem ab igno-
& ignoran- ria sciungas. PAVLEVS certe L. 1. §. 1. & 2. D. de iur. & facti
riam, discri- ignor. eum, qui nesciat, quod scriptis hereditibus honorum possessionem
minis inter- praetor promisisset, quique ignoret, ex successorio edicto honorum posses-
fit. sionem sibi competere; illum in iure errare: qui sciat ex quibus parentibus
ortus sit, sed iura cognitionis se habere nesciat; in iuris errore versari
d. I.

^{d)} GERARD. NOOT comment. ad dig. L. XII. tit. I. p. 274.



d. L. i. §. 1. qui *nesciat*, bonorum possessionis tempus praeterisse, illum in facto *errare*, d. L. i. §. 3. qui *nesciat*, esse testamenti tabulas, facti errore decipi, responderet L. i. §. 4. D. d. t. Idem PAVLLVS L. 15. ss. 1. D. de contrah. empt. *Ignorantiam*, quae non in supinum hominem caderet, prodesse emtori arbitratur; sed AFRICANVS L. n. D. pro empt. illud de errore interpretatus est: & quae de *ignorantia* emtoris vulgo tradita sint, hactenus vera esse affirmat: si emtor nullam iustum causam habeat *erroris*. Vtique intelligas, quod ICtis familiare sit, *errorem* cum *ignorantia* miscere: etiam POMPONIVS nihil inter vtrumque vitium discriminis agnoscit; sed, quum L. 28. D. de lib. caus. *ignorantiam* voluntati & consensui obstatre tradidisset, illud L. 57. D. de O. & A. de errore affirmauit, qui negotia omnia, quae consensu continentur, perturbare videatur. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS, Augusti L. 6. & 7. C. de iur. & facti *ignor.* facti *ignorantiam*, *errorem* facti appellantur, ut eodem iure censeri *errorem* & *ignorantiam*, & vtriusque usum nominis veteribus promiscuum fuisse, cognoscamus. Quae quamvis vera sint, nolim tamen existimes, tam pingui veteres ingenio fuisse, vt non perspexerint, non nihil inter *ignorantiam*, & *errorem* intercedere: & posse quidem *ignorantiam* esse sine *errore*; quamvis delabi in *errorem* nemo possit, qui non in *ignoratione* veritatis, atque aliqua incertitudine, versetur. Illud enim cognouisse ICtos, vel ex solo VLPIANO intelligitur, qui L. 15. D. de iurisd. „Nihil tam contrarium esse consensui affirmat, quam *errorem*, „qui *imperitiam* detegat.“ Seiungit igitur *imperitiam*, atque *ignorationem* veritatis, ab *errore*; sed *errorem* ex *imperitia* enasci arbitratur. Enim uero ita a natura comparati sumus, vt fere de externis rebus, nisi ex sensuum indicio, ferre sententiam, aut certi quidquam affirmare, non possimus. Sed si sensibus illud, de quo ferendum est iudicium, penitus non cognoscas, diceris in *ignorantia* versari. Haec interdum quieta est, & vacat culpa, dum animum a curatione, atque administratione rerum, quas sensibus non perspexit, vacuum relinquit: nihil molitur: quae ad se non pertinent, illa non attingit; sed excutienda, & exquirenda, aliis relinquunt. Hactenus *ignorantia* ab *errore* separatur. Sed si, qui semel incitatus est, sustinere se non potest, & in proeliue pellitur, dicitque sententiam, cum rem penitus non perspexerit, atque ad illa, quae obseruari poterant, animum omnino non attendit; ille & verum *ignorat*, & praeterea in *errorem* prolabitur: atque *opinione falsa* abrepitus, contra indicium sensuum, iudicat. Ita cum *ignoratione* *error* coniungitur, qui culpa carere non videtur: cum inuestiganda omnia fuissent, & sensus adhibendi in consilium, priusquam de rebus indicium ferremus. Sed inuenit error excusationem, si, vel rerum natura, quo minus illam toram perspicereimus, prohibebat, sed

A 3

ipsa



ipsa tamen necessitas, ut aliquam opinionem sequeremur, imperabat: vel ita res posita in aprico, & manifesta esse, videbatur, ut nulla esset suspicio, latere quidquam, quod nos in errorem induceret, quodque non totum a nobis cognosceretur. Quem errorem P A V L V S L. 15. §. 1. D. de contr. empt. probabilem, „qui in supinum hominem non cadat, & A F R I C A N U S errorem, cuius quis iustum causam habeat, appellauerunt.“ Sed in contrahendis negotiis, si quid illarum rerum, circa quas versantur contrahentes, & quae, nisi ex certis indiciis, recte cognosci non possunt, ignorabis; ignorantia fere abit in errorem, & non solum vacat cognitione veritatis, sed etiam falsa opinione animum perturbat. Neque enim ad rem gerendam, aut ad pacificandum, fere accedimus, quin de illis rebus, de quibus deliberandum, atque constituendum est, concipiamus aliquid animo, aut fingamus, & opinione quadam ad capiendum de re consilium subiuste adducamur. Quapropter, si, quod verum est, omnino nescias, necesse est plerumque, te fingere aliquid, & nonnihil falsi concipere, atque a vero aberrare. Ut: „si rem meam mihi ignorant, vendideris, quam speciem L. 15. §. 2. D. de contr. empt.,“ P A V L V S proposuit, non tantum ignorabam, rem meam esse, quam emebam; sed etiam alienam, & tuam esse, per errorem arbitrabar. Neque cogitare poteram, rem non esse alienam, nisi ex certis indiciis perspicerim, eius proprietatem mihi suisse adquisitam. Solet enim fere mens humana ex illis, quae sensibus se perceperisse credit, iudicium formare. Quare consequitur, quod, si aliquid sensu non cognoueris, illud aut abesse fingas, aut ingenii virtute aliud quidquam, in eius rei, quam sensibus te percepisse credis, locum substituas. Ut: si rem, quam emis tuam esse non cognoueris, non solum illud, quod verum est, ignoras; sed etiam, vel dominium tibi non acquisitum esse credis, vel illud etiam ad venditorem putas pertinere: quod vtrumque erroreum est, & a veritate alienum. Omnis igitur ignorantia, qua nos in contractis negotiis deceptos esse, conqueri possimus, videtur coniuncta esse cum errore. Quamuis enim interdum illud, quod antea per errorem, & ignorantiam fingebas, postea verum esse forte fortuna deprehendas; tamen eatenus errasti, quod rem, quam nondum cognoueras, veram esse existimabas. Praeterea ne scies quidem, quod illud antea per errorem pro vero habueris, quod postea verum esse deprehendis: vel certe conqueri non poteris de errore, qui te non seduxit. Ut: si ab initio, rem omnino tuam esse, quamuis ex nulla ratione idonea, putaueris, & postea deprehendas, esse tuam; nunquam ignorantiam, & errorem accusabis. Videatur igitur ignorantia, de qua litem quis mouere possit, etiam errorem contineare. Et haec ratio adduxit veteres ICtos, ut promiscue ignorantiam, & errorem appellarent. Huius enim iuris disciplina, maxime in actionibus hominum,

minum, & negotiis, quae in controversiam adducuntur, diudicandis, occupatur. In quibus, nec error, qui non coniunctus sit cum ignorantia, nec ignorantia, quae errore careat, potest obuenire. Praeterea, vbi de errore tractatur in negotiis, de effectu erroris quaeritur, & an voluntati, & consensui obstare videatur. Sed apparet, & ignorantiam, & errorem interdum, eadem ratione prohibere, ne illud serio appetas, quod antea, cum veram rei naturam ignorares aut falsa opinione deceptus, a vero aberrares, velle videbaris. Hinc non solum secundum VLPIANVM L. 18. D. de R. C. qui rem sibi donatam per errorem, pro mutua accepit, proprietatem rei non adquirere visus est, sed etiam, auctore PAULLO L. 10. D. de donat. qui nescit, rem, quae apud se est, sibi donatam esse, dominus fieri negatur.

Haud multo secus ICti de dubitatione responderunt, quae & ipsa induere videtur & ignorantiae naturam, & erroris. IUSTINIANVS L. 22. f. 2. C. de furt. illum, qui nescit, & hunc, qui dubitat, rem furto subtractam, non esse apud commodarium, eodem comitate coniungit: & utrisque, quamvis actionem commodati instituerint, licentiam concedit, ut possint etiam actione furti experiri. Sed apertius L. n. C. de condit. indeb. ,cum pro dubietate illorum, qui mente titubante soluerint pecuniam, certamen incidisset, idne, quod *ancipi animo* soluerint, possint repetere, an minus; omnibus, qui *incerto animo* indebitam pecuniam soluerint, concedit repetitionem., Sed haec indebiti conditio secundum VLPIANVM L. 1. D. de condit. indeb. pro illis duntaxar, qui ignorantes indebitum soluerunt, introducta videbatur. Si ex natura rem aestimes, qui dubitat, non modo, quid veri subsit, ignorat; sed praeterea etiam *suspicionem* animo concipit, ne, si in alterutram sententiam concedat, diuertat a vero, & in errorem prolabatur. Tandem vero, si neglecta dubitatione, ad negotia accedit, & sententiam, de qua dubitauerat, eligit; non modo dubitat, sed errat etiam saepius: certe non cauet sibi ab errore; quamvis interdum forte fortuna etiam verum deprehendat. His fere ex causis veteres dubitationem errori compararunt; maxime, cum, quod ait PAPINIANVS L. 76. D. de R. I. ,in totum omnia, quae animi destinatione peragenda sunt, non nisi vera, & certa scientia perficiantur; dubitatio autem non minus, atque error, & ignorantia, certitudinem scientiae perturbet., Hinc, si GAIUM audiamus, in dubiis causis iusitrandum exigunt indices, & secundum eum, qui iurauit, indicant. Sed, cum iureiurando induci in errorem possint, si quis noua se instrumenta inuenisse dicat, quibus nunc solis usurpus sit, causam ex integro agere permittunt. L. 31. D. de iurej. Ne tamen ignorasse credas ICtos, quid



quid inter dubitationem, & errorem discriminis intersit; V L P I A N V S L. 15. D. qui test. fac. poss. dubitantes quidem ab errantibus sciungit; sed eodem tamen iure illos, qui errant, & hos, qui dubitant, censendos arbitratur. „De statu, inquit, suo dubitantes, vel errantes, testamentum facere non possunt.“ Igitur secundum V L P I A N V M , nihil intererit, virum abruptus errore quodam, pecuniam, quae tibi donandi animo a donatore tradebatur, quasi mutuam acceperis, an dubitaueris, ne credendi animo tradatur.

§. IV.

Ius erroris *In* tanta varietate verborum, magis etiam de iure disceptatum est. *in contrahendis negotiis ex lege naturali.* Videamus igitur, quae naturae coniuncta sint, de errore in contrahendis negotiis, praexcepta. Res omnis ex natura pactorum cognoscetur. Et primo quidem disputatione non indigeret, ex solo consensu, nisi aliud quidquam caussae subsit, & accedat, officia nobis non imponi. Cum enim fingi officium animo non possit, quod non a legislatoris cuiusdam voluntate proficiscatur; consequens est, non solo nostro arbitrio illa constitui, aut solo nos consensu nostro, atque voluntate, obstringi, ut, quod promisimus, praestemus. Praeterea facile contrahentes etiam in malam rem, & peruersam, in furta, & latrocinia, in fraudes, atque machinationes, consentiunt; aut de rebus inutilibus, & vanis, paciscuntur; quae cum a nobis exigi non velit legislator, ex solo consensu peti, aut deberi, non possunt. Sed neque in illis caussis, quae manifeste præceptae sunt, & quae generatim omnibus, a quolibet, atque omni tempore, debentur: ut: ne offendas socios, ne a pace inita discedas, & quae his similia sunt, solo consensu nostro, sed potius lege obligamur: quae generatim etiam inuitos tenet, atque ad obsequium adducit. Quapropter in illis caussis, nisi admonendi, docendique aduersarii, caussa, supervacaneum est, accedere ad pactionem. Supereft, ut & de illis rebus videamus, quae nec ab omnibus praestandae sunt, neque omnibus concedi possunt; sed, prout conditio rerum, & personarum, postular, prout nostrarum virium copiae permittunt, aut aliorum indigentia exigit, non, nisi certo tempore, atque ex caussis singularibus, debentur. Quod genus officiorum philosophi officia hypothetica appellant. Sed ne in his quidem pactione opus est, si conditiones, quibus illa officia nituntur, etiam sine declaracione mutua, patescant: si que per se appareat, quid alteri ex creatoris voluntate debeatur. Ut: si quis in manus hostium incidat, quem liberandum esse arbitremur; aut si aedibus vicini absensis ignis immittatur, quem, praeter te unum, nemo commode restincturus videatur; teneris ad ferendam opem, etiam sine patione. Caret enim dubitatione, necessitatem tibi imponi, ut succurras; cum & tu possis commodissime, & alter cui in primis auxilii indigere cognosca-



cognoscatur. Hoc est, quod POMPONIUS L. 23. & GAIUS L. 53. D. de solut. affirmarunt, quod & *inuitos*, & *ignorantes*, liberare, eorumque conditionem meliorem facere, possimus. Neque vero illud, quod GAIUS ait, duntaxat iure ciuili constitutum est; sed naturae etiam conuenit, vt, si alterum tui auxillii egere, illudque te sine magno incommodo, & difficultate, ferre posse certo intelligas, sponte illud praestare tenearis; quamvis alter vel modestia prohibitus, vel imprudentia seductus, a te nec postulet beneficium, neque aequo animo accepturus videatur. Quando igitur tandem vſus esse pactionibus dicetur? Nimisrum si *occultæ* sint conditions, ex quibus officium nascitur, vt, nisi ex mutua declaratio-*ne*, cognosci omnino nequeant: sed deliberandum sit, vbi beneficium col-loces; tunc videlicet opus est, vt in vnam sententiam conueniamus. Neque tu enim, vtrum vere debeas beneficium, cognoscis: neque alter, vtrum beneficium a te expectare possit, intelligit; nisi & alter, quae re demum ve-*re* indigeat, & tu, quae commode a te proficiendi possint, luculentius expo-natis, resque tota ab utroque in apricum producatur. Sed cum ambo con-trahentes horum vtrumque cognouerunt, tunc pactionem inter se fecisse, & *mutuo consensu* constituisse officia, intelliguntur. Vt ecce: si supersit tibi aliquid nummorum, quod in vſus tuos iam conuertere non possis; ani-mus est, aut donare illos, aut mutuos dare indigentibus, aut in fœnore etiam ponere. Nec tamen cuius obuio donabis, aut mutuos, vel fœnori, dare poteris: ne vel gladium furioso, atque ingrato porrugas, vel hominem miserum, & egentem, fœnore trucides; sed cognoscenda sunt omnia, pri-usquam recte beneficium collocasse videaris. Igitur non tam ex *consensu*, quam ex *rerum conditionibus*, & *cauſis*, quae, cum antea obscurae essent, per pactionem, & consensem, eruuntur, atque declarantur, enascitur obligatio, & necessitas fidem pactorum adimplendi. Hinc *consensum cauſam obligationis* appellamus, quia *consensu* demum nostro significamus, veram nos officii nostri rationem cognouisse. Ex quibus rebus intelligitur, omnem pactionem *errore*, & *ignorantia*, & *dubitacione*, perturbari. Neque enim, qui *errore* distrahuntur, cauſas illas recte perspiciunt, ex quibus so-lis, quid promittere, quid praestare debeamus, intelligitur: & quarum co-gnitione omnis fides, & sanctitas, pactorum continetur. Sed neque illud obscurum est, non omnem *errorem*, aut *ignorantiam*, pactiones dissolu-vere; sed illam duntaxat, quae impedimento sit, ne veras officii nostri cauſas cognoscamus. Vt: si mutuam Titio pecuniam dederis, cum falso ex-iſtimares, alios tibi nummos superesse, qui tuis necessitatibus sufficiunt vi-deantur; vel cum Titium, qui patris potestati subiectus est, & intemperiis nocturnis agitatur, sui iuris hominem, & frugi esse, audiuiſſes; nihil inter-vos actum est, cum dare alteri mutuum, ratio non iubeat, nisi & tibi copia

Fasc. III.

B

lit



sit nummorum, qui mutuo concedi possint: & nisi alter indigeat illis rebus, quas mutuo postulat: & spes denique superfit, tuum, quod dederas, recuperandi. Cetera vero tuto *ignorantur*; neque negotia talis *erroris* excusatione distrahuntur, qui non efficit, ut aliter, ac res postularerit, cognitae de tuo officio, & voluntatem declarares. Hinc recte **V L P I A N U S** **L. 9. f. 1. D. de contr. empt.**, nihil facere errorem nominis affirmat, si „de corpore consentiamus.“ Neque enim propter nomen duntaxat facile quisquam contrahere negotium creditur, aut mutare voluntatem; nisi hoc ab ipso fuerit antea verbis expressis indicatum. Quapropter etiam, si tu nummos donandi animo traderes, ego quasi mutuos accipereim; magis est, nihil obesse hunc errorem: cum & tu perspexeris, succurrendum meae inopiae: & me modestia mea prohibuerit, ne peterem, ut donares. Praeterea etiam, cum, re comperta, non contradixerim, neque nummos restituerim; probabile est ad fidem, me, si antea perspexissem animum tuum, acceptum fuisse, quod donatum est, & grati animi significacionem editurum. Sed ponamus, dissolui errore pactionem. Si alter, cum quo negotium gestum est, nonnihil inde damni contracturus videatur; an liceat discedere a fide pactionis, grauior est disputatio. Ut ecce: composui rationes meas, resque omnes ordinavi: in te spem & fiduciam collocaui: nihil dubitau: credidi me pecunias ex pacto accepturum: creditori meo me soluturum, quod a te exspectaueram, promisi; si fefelleris expectationem meam, & fidem deserueris, re carebo, quam, nisi a te fuisset spes mihi iniecta, ab aliis quaerere, & sine difficultate impetrare, potuisse. Enimvero expeditam est, refaciendi damni officium ad illos pertinere, quorum culpa, & vitio, error est commissus. Quapropter, si te in errorem induxerim; ne quid incommodi sentias, prospicere tenebor. Contra, si, quod plerumque accidit, tua praecipititia, & facilitate, erratum est, neque meum officium, ut detegarem, aut exquirerem errorem tuum, postulavit; ipse damnum, tua culpa contraatum, senties: ipse tuam culpam luere teneberis. Nec tamen commodius damnum resarcies, atque incommode liberabis aduersarium, quam seruando pacta, ac promissa adimplendo, ad quae per errorem accessisti. Si enim discederes a pactione, & illud, quod interest, praestare, & damnum resarcire malles; longa dinumeratione, quid alter incommodi inde accipiat, comprobandum esset: res in magna, & incipiit disputatione versaretur: fides promissorum, vinculum humanæ societatis, solueretur. Igitur, qui sua culpa in errorem incidit, teneat pactionem. Sed, si careas omnino culpa: & probabili errore, quem ne homo quidem idoneus & sapiens facile cauere possit, deceptus sis, arque ad pacificendum inuitatus; fatis quidem debes, & infortunio, quod in errorem incidisti: nec tamen animaduero, cur possis discedere a pactione. Neque enim, si natu-

naturam audias, aduersarium, cui nihil accidit, qui nihil commisit, sed tibi fidem habuit, atque omnia salua existimauit, cogere poteris, vt te sensu infortunii tui liberet, tua incommoda perferat, & fructu exuatur, quem ex tuo promisso exspectabat. Ut ecce: cum tibi absenti procurator tuus persuaseret, exustas esse aedes tuas; idem etiam amici testarentur; tu, cum non dubitares de fide illorum, qui rem ad te retulerunt, emisti alias ædes, & pretium te soluturam, promisisti: sed postea intelligis, non tuas, sed vicini ædes igni periisse. In probabili errore versabar, cum non haberes, quo minus procuratori & testibus crederes: ædes tuas conflagrassæ; sed nec aduersarius peccauit, qui, cum res tuas ignoraret, tibi permisit, ut, quid faciendum sit, constitueres: emptione vero perfecta, rationes suas ita composuit, ut pretio ædium suarum, a te promissio, sine suo incommodo, carere non posse videatur. Poteris tu quidem vel cum procuratore, vel cum fortuna, conqueri, quod cogaris ædium pretium soluere, quas non emisses, si saluas esse tuas ædes cognouisses. Sed infortunii tui partem in aduersarium transferre, aut a pactione discedere, naturali iure prohiberis. Nam præter ius aduersarii tui, etiam reipublicæ, & societatis, interest, sanctam esse fidem pactorum: & nullo facile titulo, aut excusatione, perturbari. Quod ni fiat; in luce erunt omnia: & moniti exemplo pacientes semper in posterum timebunt, ut rata sint negotia, quae pactione, & consensu, contrahuntur. Non ignoro, quid circa illud argumentum magnus PUFENDORFIVS ^{e)} philosophetur. Ille tunc quidem, cum errorem meum, antequam res tradita fuerit, ipse deprehendam, & corrigam; aequum esse credit, ut mihi facultas pœnitendi concedatur. Sed illud haec tenus verum est, si ne alter quidem, quem in spem adimplendæ fidei meae pacto adduxeram, res suas ita ordinavit, ut sine suo incommodo, re a me promissa iam carere non possit. Nam potuit, etiam priusquam res promissa traderetur, spem aliquam ex tua pactione inchoare: quam si tu falleres, & frustrareris; damnum aduersario, nulla eius culpa contratum, immerenti afferre videris. f)

§. V.

Non ausim affirmare eandem semper regulam, ubi de errore respondendum esset, ICtos veteres secutos. Longum foret, per omnia capita va-

*Ius erroris
ex legibus ci-
vilibus Ro-
manis.*

Sed pauca delibabimus: & primo, si in persona erratum fuerit, an va-

leat negotium? dispiciemus. V LPIANVS L. 15. D. iurisd. „si per erro-

rem alias pro alio Praetor aditus fuerit; nihil valere: neque qui errant,

„illos in Praetorem consentire, existimat, cum nihil tam contrarium con-

sensui, quam error, videatur. Et L. 2. pr. D. de iudic. illos demum

B 2

„con-

^{e)} PUFENDORF. I. nat. & gent. III. 6. 6. ^{f)} GUNDLING. l. c.



„consentire in praetorem, qui sciant, se non subiectos esse iurisdictioni eius: ce-
„terum, si putent, eius iurisdictionem esse; nullam fore iurisdictionem; cum, au-
„tore I V L I A N O , error litigantium non habeat consensum. „ Sed cum qua-
reretur, num valeant, quæ Barbarius Philippus, seruus fugitiuus, prætor creatus
per errorem, & pro liberō habitus, in praetura, edixerat? V L P I A N O L. 3. D.
de off. præt. aliter visum est: nihilque illorum reprobari placuit; cum potuiss-
set Populus Rom. si sciuisse, seruum esse etiam seruo decernere hanc potestatem.
Mihi quidem viderit V L P I A N V S non recte responsi rationem reddidisse.
Neque enim consequitur: cum potuisset Populus Rom. Philippo, etiam ser-
uo, decernere praeturam: quod probabile sit, voluisse etiam populum hanc
ipsi dare potestatem, quamvis seruum fugitiuum esse cognouisset. Sed cer-
tius est, propter utilitatem publicam, & illorum, qui apud Philippum,
vel lege, vel alio quodam iure, egerant: &, ne fides publica soluatur: ne
lites ex litibus nascantur: neue publica negotia illo obtentu perturbentur;
etiam illa, quae a seruo gesta sunt, seruari. Non multo secus H A D R I A-
N V S L. 1. C. de testam. rescripsit: „testes serui, an liberi fuerint, non
„tractandum esse, cum eo tempore, quo testamentum signabatur, omnium
„consensu, liberorum loco, quamvis per errorem, haberentur. „ Sed de
illo argumento M E N O C H I V S, g) B E Y E R V S, b) alii plerique, copiosius
exposuerunt. In priuatis caussis error circa personam, secundum iuris sub-
tilitatem, virtutem negotium, quod subinde tamen, propter aequitatem, con-
seruatur. Vt: si rem tibi tradidero, vt meo nomine Titio donares, & tu
tuo nomine Titio dederis: Titius etiam, se rem a te donatam accipere, per
errorem crediderit: I A V O L E N V S ait L. 25. D. de donat. „quantum ad
„iuris subtilitatem, qui erratum est, rem accipientis factam non videri; sed be-
„nignius esse, si agam contra eum, qui rem accepit, me exceptione dolii
„mali submoueri. „ Item, si procuratori meo rem tradideris, vt mihi ad-
quireret; is ea mente acceperit, vt suam faceret; I V L I A N V S L. 37.
f. 6. D. de A. R. D. nihil agi, respondit; sed si V L P I A N V M L. 13.
D. de donat. audias, „nihil agit procurator duntaxat in sua persona, sed res
„mihi adquiritur. „ Hoc fere iure vtimur; si in persona fuerit erratum.
Sed si in rebus, de quibus inter nos agitur, error quidam nos perturbet;
vtrum ille impedimento sit, ne negotium perficiatur, videamus. Et gene-
ratim P O M P O N I V S L. 57. D. de O. & A. „In omnibus negotiis
„contrahendis, siue bona fide sint, siue non sint, si error aliquis interue-
„niat, vt aliud sentiat, qui emit, aut conductit; aliud, qui cum his contra-
„hit; nihil valere, quod actum est: & V L P I A N V S L. 16. f. 2. D.
nde R. I. qui errant, illos consentire non videri: & in primis P A P I N I A-

„N V S

g) M E N O C H . de arbitr. iud. quæst. I. qu. 75. p. 51.
ac ad. XV. sect. I. n. 7.

b) B E Y E R . disserr-



NVS L. 76. D. de R. I. In totum omnia, quae animi destinatione peragenda sint, non nisi vera & certa scientia, perfici posse, censuerunt. Speciatim, si de corpore per errorem dissenserimus, & tu me in vacuam possessionem fundi Corneliani miseris, ego me in Sempronianum missum esse, putauerim, & in Cornelianum iero; nisi in nomine tantum errauerimus, ne possessionem quidem mihi adquiri, putat VLPIANVS L. 34. pr. D. de A. vel A. poss. quia errans adquirere non posse videatur: tantum abest, ut negotium perfici putemus, in quo ne quidem de corpore vtriusque sententia concurrit. Si igitur me fundum Cornelianum emere crederem, tu mihi Sempronianum vendidisti: aut ego me Stichum emere tu Pamphiliū absentem vendere putasti; cum in corpore dissentiamus, auctore VLPIANO L. 9. D. de contr. empt. nullam apparer esse emptionem. Sed VLPIANVS ab errore in corpore errorem in substantia sejungit, quem L. 9. §. 2. D. de contr. empt. & L. 14. D. eod. tit. etiam errorem in qualitate, & materia, appellat. Nullam, ait, esse venditionem, si in substantia, id est, materia & qualitate fuerit erratum; quia aliud pro alio venisse videatur. Sed interest, vtrum in genere materiae, an tatum in specie, erremus. Neque enim necesse est, ut de specie consentiamus. Ut: si putarem, me virginem emere, cum iam esset mulier; emptio valebit: quia in sexu non erratum L. 11. §. 1. D. de contr. empt. & si acetum pro vino veniat; erit emptio: si modo vinum acuit, nec fuerit ab initio acetum, L. 9. §. 2. D. d. tit. Neque si aurum fuerit deterius, quam empior existimauit: aut si viriola, quae aurea videbatur, aliquid auri habeat, quamvis magna ex parte aenea esse deprehendatur; distrahetur negotium; sed emptio valebit, si PAVLLVM L. 10. D. & VLPIANVM L. 14. D. de contr. empt. audiamus. Contra, si vinum non acuit; sed fuit ab initio acetum, quod pro vino vendebatur: L. 9. §. 2. D. d. t. vel tu puerum emere existimasti, ego mulierem venderem, L. 11. §. 1. D. d. t. vel aes, pro auro, veneat: vel mensam argento cooperiam pro solida, mihi ignorant, ipse ignorans, vendidisti; nihil actum est: & data eo nomine pecunia, auctore IVLIANO, condicetur, L. 41. §. 1. D. de contr. empt. PAVLLVS praeterea, vtrum in re principali, an in accessionibus, erratum fuerit, distinguit; & si non intelligatur, quid ex pluribus rebus accesserit, cum de alia re venditor, de alia empior cogitasset; nihilominus emptionem fundi valere arbitratur, L. 34. pr. D. de contr. empt. POMPONIVS etiam L. 52. D. locat. si in constituendo pretio error nos aliquis confundat; ut: si ego decem tibi fundos locem, tu autem existimes quinque te conducere; nihil actum esse censuit. Ex quibus rebus intelligitur, maiorem veteres errori, quam pracepta naturae coniuncta postulare videbantur, veniam dedisse.



§. VI.

Error civ- Sed, si ne de ipso quidem negotio, quod gerimus, consentiamus; res
ca titulum, disputatione non indiget: sed constat, errorem prohibere; ne illud, quod
ex quo domi- inchoatum est, perficiatur. In primis in transferendis dominis tanto dili-
nium trans- gentius obseruatum est, ne per errorem proprietas transeat; quanto magis
fertur. publice interesse videbatur, non temere iactari dominia: sed cum cura qua-
 dam & prouidentia adquiri. Hinc PAVLLVS L. 31. pr. D. de A. R.
D. nuda traditione non transferri dominia, preecepit: sed ita si venditio,
 aut alia iusta causa praecesserit, propter quam traditio sequatur. Sed *iusta*
causa non praecedere intelligitur; nisi secundum IAVOLENUM L. 55. D.
 de O. & A. in illis, quae dominium transferunt, ex utraque parte *affe-*
etus contrahentium concurrat. Nam siue ea venditio, siue donatio, siue
 quaelibet causa contrahendi fuit; nisi animus vtriusque *consentit*, negotium
 non perficitur. Hinc fere is, qui *nescit*, rem, quae apud se est, sibi esse
 donataam: vel missam tibi, non accepit; teste PAVLLO L. 10. D. de donat.
 dominium non adquirere videtur. Discederem ab hoc loco; nisi id mo-
 nendum videatur: quod interdum, si alia *causa idonea* non subsit, ex qua
 proprietas transeat; etiam sola domini voluntas, id agentis, ut dominium
 in accipientem transeat, non dissentiente altero, in locum *causae idoneae*
 succedat. Neque enim IVSTINIANO aliiquid magis conuenire naturali
 aequitati visum est, quam voluntatem domini, volentis rem suam transferre,
 ratam haberi: quare cuiuscunq; sit res corporalis, tradi potest, & a do-
 mino tradita, alienatur. §. 40. I. de R. diu. Quod etiam GAIUS
 L. 9. §. 3. & 7. D. de A. R. D. probavit: & praeterea de missilibus
 monuit, quod qui illa iactauit in vulgus, quamvis ignoret, quid eorum
 quisque excepturus sit; tamen eum, qui exceperit, dominum faciat: quia
 ab initio, eius esse, qui exceperit, volebat. Voluntas igitur domini, qui
 putat, se habere iustam causam, cur proprietatem transire patiatur, suffi-
 ciet alteri, non obliquanti, ad dominium iure civili acquirendum. Ope-
 rae pretium videtur, id docere per exempla. Ut ecce: si quis sub condi-
 tione promisit pecuniam, sed dedit ea lege, vt, si conditio extitteret,
 pecunia in solutum cederet: nulla, praeter voluntatem domini, subest cau-
 sa idonea, cur proprietas transeat: cum docente VLPIANO L. 213.
 D. de V. S. pendente adhuc conditione, nec cessisse dies, nec venisse vi-
 deatur; & tamen, etiam antequam conditio existaret, pecuniam accipientis
 factam esse, POMPONIVS L. 16. D. de solut. respondit. Neque multo
 secus VLPIANVS L. 7. §. 3. D. de iur. dot. cum mulier dotem ante
 nuptias ita dedisset, vt statim viri res fierent; condicere eas, inquit, mu-
 lier missio nuncio debebit. Sed vindicare illas non poterit: quia voluntate mulie-
 ris proprietas transisse in maritum videatur. De qua re tantum abest, vt
 CAL.



CALLISTRATVS dubitet; vt potius, nisi euidenter aliud actum esse intelligatur, credendum existimet, id agi, vt res sponsi fierent; &, si nuptiae non fecutae fuerint, reddantur, L. 8. D. de iur. dot. Imo vero, quamvis nec vir, nec vxor, nec nuptiae, nec dos intelligentur, si contra praecepta legum coierint, ss. 12. I. de nupt. tamen etiam, si iuris auctoritate matrimonium constare non possit, non vindicari quidem rem, dotis loco traditam; sed iure condictionis restituendam esse dotem, ANTONIVS L. 1. C. de condic. ob causs. dat. & DIOCLETIANVS L. 7. C. de interd. matrim. rescripsérunt. Non opus est, vt te multis detineam. Ipsa indebiti solutio, cum tu putares, te ex caussa crediti, nummos tradere, transfert dominium; quamvis postea nulla iusta caussa subfuisse intelligatur. Quapropter IVSTINIANVS ss. 1. I. quib. mod. re contrah. oblig. non vindicari indebite solutum, sed condicitoria actione reperendum, docuit. Quod etiam a V. C. GERARDO NOODT fuisse obseruatum intelligo. ⁱ⁾ Enim vero, si nulla alia subsit caussa idonea; tanquam ex donatione dominium transibit: quia secundum PAVLLVM L. 53. D. de R. I., cuius „per errorem dati est repetitio; eius consulto dati donatio videtur, & secundum PAPINIANVM L. 29. D. de donat. & L. 82. D. de R. I. „id donatur, quod nullo iure cogente conceditur:,, quamvis illa donatio subinde sub certa conditione (etiam tacita) soluatur, L. 1. pr. D. de donat. atque aliquando, quod traditum est, condicione repetatur.

§. VII.

Hactenus expositum est, non nisi ex iusta caussa, quam veram pertinent contrahentes, dominium transferri: & dissensum in caussa, ne res ad ^{in possessione} quiri possit, prohibere. Sed ne usucapi quidem posse res tradita videtur; ^{& usucapio} ne. nisi caussa praecesserit, & de illa contulerit inter contrahentes. Quamquam enim, secundum NERATIVM L. 5. D. pro suo, „quilibet usucapiat, quod, cum suum existimat, possederit,, hoc tamen ita interpretandum est, vt probabilis error possidentis usucacionem non impedire videatur: ceterum IVSTINIANVS generatim ss. 2. I. de usucap. error rem falsæ caussæ usucacionem non parere, affirmat: veluti, si quis, cum non emerit, emisse se existimans, rem possideret; cum praeterea in emptione & tempus, quo contrahitur, & illud, quo res traditur, inspicendum esse, PAVLLVS praecipiat, L. 2. pr. D. pro emt. Igitur nec pro derelicto, quod falso existimaueris derelictum esse, L. 6 pr. D. pro derelict. neque pro legato usucapies, quod, legatum esse falso putauisti L. 2. D. pro legato. Denique & pro donato is demum usucapiet, cui res vere tradita fuerit animo donandi. Nec sufficit opinari, sed & donatum esse, opor-

i) GERARD NOODT de forma emendand. dol. mal. cap. XV. pag. 380.



oportet, si P A V L U M L. 1. pr. D. pro donat. audiamus. Sed hinc, quod donata tibi fuerit res aliena, quam tu mutuo datam arbitris: si postea, detecto errore, corrigas opinionem, &, cum intellexeris, donandi animo tibi traditam fuisse, pro donato possideas; an usucapere possis, videamus. Et videris pro donato usucapere: nisi forte timendum sit, ne credaris tibi ipsi caussam possessionis mutauisse; quum, quod quasi mutuum accepisti, deinceps donatione intellecta, malueris pro donato possidere. Neminem enim sibi ipsi caussam possessionis mutare posse, a veteribus, teste P A V L O L. 3. s. 19. D. A. vel A. possess. praecettum est. Sed certius est, te tibi ipsi caussam possessionis non mutasse. Bona enim fide, accepisti quasi mutuum, atque, ex voluntate domini, deinceps pro donato possedisti. Sed, quod vulgo dicitur, ipsum sibi caussam possessionis neminem mutare posse: haec tenus verum est; si quis sciens, se bona fide rem non possidere, lucri faciendi causa possidere inciperet. Ita enim I V L T A N V S L. 33. s. 1. D. de usurp. respondit. „Hoc etiam in caussis similibus subinde obseruatum est. Ut ecce; si quis emerit fundum sciens, ab eo cuius non erat; pro possessore possidet. Sed si eundem a domino emerit; incipiet pro emptore possidere, nec videbitur, sibi ipsi caussam possessionis mutauisse. Idem iuris erit, etiamsi a non domino emerit, cum eum esse dominum existimaret. Idem hic, si a domino heres institutus fuerit, vel bonorum eius possessionem acceperit, incipiet fundum pro herede possidere, nec videbitur caussam possessionis sibi mutauisse.“ Detecto igitur errore, pro donato usucapies, quod antea quasi mutuum cœpisti possidere.

§. VIII.

Lex XVIII. *Habes iam fere omnia, opinor: ut iam facile de I V L I A N I, V L P I A N O nique dissensu sententia dici posse videatur. Sed primum de V L P I A N O videamus. „Si ego, inquit, pecuniam tibi quasi donatus dedero, tu quasi mutuam accipias; I V L I A N V S scribit, donationem non esse. Sed an mutua sit, videndum.“ C V I A C I V S ^{k)} caussam, de qua hac lege disputatum est, esse scholasticam credidit; id est, quales studiosis rhetorices olim dari solebant declamandae. Neque enim affirmare audet, posse eiusmodi speciem subinde etiam in foro obuenire. Sed aliter certe T R I B O N I A N O visum est, qui titulo de reb. cred. illam disputationem inseruit: ut daret iudicibus regulam, quam, si quid tale enierisset, sequerentur. Græci etiam ex vsu esse purauerunt, si & ipsi huius controversiae modum definirent: & cum vix aliud quidquam, quod ad forum non spectaret transcriberent; libro 23. L. 18. Bæsilicæ ^{l)} V L P I A N I legem his fere verbis expres-*

^{k)} C V I A C. ad lib. XII. dig. tit. I. num 18. edit. FABROTTI T. IV. part. I. pag. 709. ^{l)} edit. basilic. FABROTTI T. III. p. 225.

Expresserunt: 'Εάν τούτη μὲν ἡ δορσίνες δώσω, αὐτόν δέξηται ὡς δανειζόμενον, ἀλλά δέ τοι τὸ γένος τοῦ οὐκίσματος εἰς δέπτωντας θῶσιν, τέχεις δέλας παραγγεῖσθαι, ὡς κατὰ γνώμην μῆδα παντούσας. Ad quem locum illud monendum est: τὸ δανειζόμενον, non foenus; sed mutuum gratuitum, in quo usuras nemo promiserit, norare; quamvis plerumque græci επὶ μεγάλοις τόνοις adiiciant: vel, si nihil addiderint, foenus intellexisse videantur. Sed **VLPIANVS** non de foenore, sed de mutuo disputat. Quod adducendum fuit, ne quid nos postea perturberet. Ergo & Græci intellexerunt, posse aliquando accidere, ut ille, cui *donatum est*, se rem quasi *mutuam* accepisse, arbitretur. Neque difficile fuit, illud affirmare, si **SCHILTERVM**^{m)} audiamus, qui hanc speciem proponit: „rogasti me absentem per litteras, ut tibi centum crederem. Misisti pecuniam per nuncium tuum, cum epistola, quasi donaturus; tu, instrumento donationis a nuncio tuo amissi, pecuniam, quasi *mutuam* accipisti; cum me p̄mitteret donationis, & epistolam meam perditam, compreßissem: repeto nummos traditos rei vindicatione. Tu interim ex reperta epistola mea cognouisti, me donare voluisse; & donationis vteris exceptione. Hactenus **SCHILTERVS**. Habes igitur donatarium, qui rem *donatam*, quasi *mutuam* accepit. Sed quaerit **VLPIANVS**: an *donatio* sit, quod gestum est inter contrahentes? Et **IVLIANO** consentit, qui scriperat: *donationem non videri*; seu, quod deinceps apparebit, *donationem*, ex *accipientis* parte, *initio perfectam*, & *expressam* non fuisse. Accepisti primum caput controvrsiae, quam **VLPIANVS** discepit. Quaeris rationem? Illam **CVIACIVS** a **IAVOLENO** *L. 55. D. de O. & A.* indicari credit: „qui in omnibus rebus, quae dominium transferant, & eximie, in *donationibus*, nisi animus vtriusque contrahentium *consentiat*, atque in unam sententiam concurrat, nihil illorum valere, quae gesta sunt, respondit..” Sed accipiens rem, quae animo donandi mittebatur, non *donatam*, sed *mutuam esse* credit; ut de causa dissensisse videantur. **SCHILTERVS**, ne postea quidem, ex mente **VLPIANI**, *donationem* stricto iure perfici purauit, atque ex *L. 210. D. de R. I.* rationem, & **LVCINII RVFINI** sententiam, repetit: „quae ab initio inutilia sint, ex post facto, conualescere non posse..” Quod an verum sit, deinceps locus erit exponendi. Sed quidquid illorum fuerit; certe secundum **PAVLVM** *L. 69. D. de R. I.* „inuitio beneficium non datur; atque uti, nemo ignorans & inuitus donat, *L. 10. C. de donat.* ita, nec liberalitas nolenti adquiritur, secundum **VLPIANVM**, *L. 19. D. de donat.*” Ergo *donatio esse* non videtur. Sed an *mutua sit, videndum*: pergit **VLPIANVS**: & puto, nec *mutuam esse*. Putat **VLPIANVS**, non certum, & expeditum

^{m)} **SCHILT.** exercit. ad ff. *L. XII. tit. I. de R. C. thes. 37.*



tum habet: rem esse ancipitem agnoscit. Sed putat: non esse mutuum: quamuis ille, qui nummos tradiderat, etiam plus dare voluerit, quam mutuum: habueritque animum donandi. Obstat enim CELSVS, qui *mutuum*, nisi inter *consentientes*, fieri non posse, L. 32. D. de R. C. affirmit. Et IVLIANVS etiam L. 19. pr. D. eod. t. videtur prohibere, qui: „Non omnis, inquit, „numeratio eum, qui accepit, obligat; sed quoties id ipsum agitur, ut alter „confestim obligetur. Sed donator non dedit hoc animo, ut accipientem obli- „garet. Neque igitur *quasi mutuum*, quod gestum est, valebit. Plus dicit „VLPIANVS: *magisque*, inquit, quasi non in illo subsistat, quod nec *donationem* esse, nec *mutuum*, responderit: quasi longius progrediatur: *magis- que*, qua fere particula veteres dissensionem, quam ab aliis faciunt, subinde „solent indicare, *magis* igitur, quidquid alii, atque ipse IVLIANVS, in par- tem contrariam disputent, „*nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit.*” Neque enim videbatur, nisi ex iusta causa, consensu constitu- tum posse dominium transferri. Qua propter cum nec tu in donationem, nec donator in mutuum consenserit, & præterea dominium, teste PAVLLO l. 3. §. 4. D. de a. vel a. poss. nisi ex una duntaxat *causa*, in quam vterque consenserit, non transeat; nec adquirere aliquid accipientem, nec valere illorum aliquid, quæ acta sunt, putauit. Quoniam igitur dominium non transit, quo- modo recuperare, quod tuum est, possis, deliberandum est. Si extet pecu- nia, quam donandi animo dederas, qua actione experiri possis, VLPIANVS non definit: rem in medio relinquit. CVIACIVS rei vindicatione vtendum esse existimat, quum dominium quod in alterum non transit, apud te residere videatur. Et puto ex mente VLPIANI, recte CVIACIVM sensisse. Sed de pecunia consumpta pergit VLPIANVS: „*si nummos consumpsiterit, licet con- dictione teneatur: tamen doli exceptione uti poterit, quia secundum volun- tam domini nummi sunt consumpti.*” Duo respondet VLPIANVS, & quasi vtrumque litigantium armat & instruit: *condicione* donatorem, qua pe- tat illum, cui rem tradidit: & *exceptione doli* donatarium, qua defendat im- petum petentis. De *condicione* prius disputemus. Si eos *consumpsiterit*, in- quit ICTUS, licet *condicione* teneatur: ergo ex ipsa consumptione nascitur *con- dictio*: cum *rei vindicationi*, re non amplius extante, locus esse non possit: nec ad exhibendum agi posse videatur. Non enim *mala fide* *consumpseras*, qui *mutuum* tibi datum esse errore probabili opinabarisi. Ita ius esse VLPIA- NVS L. 11. §. 2. & L. 13. pr. D. de R. C. respondit. Sed qua *condicione* us- turum esse dominum? dicemus. Quibusdam visum est, *mutuum*, quod ante- non erat, vel constitui, vel certe perfici, *consumptione*: adeoque accipien- tem *condicione certi quasi ex mutuo*, teneri. n) Vocant enim VLPIANVM in

n) LYNECK. ad inst. II. 8. §. vlt. p. 108. SCHILT. l. c. th. 40. UVAREN. in C. h. t. c. 2.



in partes, qui L. 13. D. de R. C. , si fur, inquit, nummos alienos tibi credendi animo dederit, nummos accipientis non facit; sed *consumptis illis nascitur condic̄io.*, Certius est, *mutuum*, quod nec antea valebat, *non perfici consumptione*. VLPIANVS enim nec transisse dominium, putauit. Quapropter, si PAVLLVM l. 2. §. 2. D. de R. C. præcipientem audiamus, quod ex meo tuum non factum fuerit, mutuum esse non videtur. Præterea CELSVS etiam l. 32. D. eod. t. mutuum, nisi inter *consentientes* fieri non posse, arbitratur. Ergo cum dissenserit dominus, non videris *ex mutuo teneri*. Sed de *condic̄ione indebiti* videndum. Et expeditum est, quamvis affine sit *indebitum mutuo*; tamen non repeti posse, quod tibi datum est, *indebiti condic̄ione*. POMPONIVS enim l. 7. D. de *indeb. cond.* quod *per errorem* soluitur, *indebitum* repeti, præcepit. Sed si *sciens*, te non debere, solueris; VLPIANVS l. 1. D. d. t. monuit, cessare repetitionem. Igitur, cum tu neque *per errorem*, sed *sciens*, & *consulto*, neque *quasi debitor*, sed *exercendæ liberalitatis cauſa*, nummos tradideris; non recte repeteret *indebitum* videris. Cuius enim *per errorem* dati repetitio, eius, si PAVLLVM l. 53. D. de R. I. audiamus, *consulto dati*, *donatio* videtur. VLPIANVS igitur, si quid recte intelligo, passus est, te *condic̄ione sine cauſa* experiri. Neque *donationis* enim *cauſam*, nec *mutui*, perfectam fuisse, cum rem *donatam*, *quasi mutuam* acciperes, VLPIANVS arbitratur. Ergo *condic̄ioni sine cauſa* locus est: quam generatim VLPIANVS, atque AFRICANVS, l. 1. & 4. D. de *cond. sine cauſ.* concesserunt: neque, utrum promiserit quis *sine cauſa*, an dederit: ab initio, *sine cauſa* res tradita, an *cauſa* non secuta sit: ab utraque, an ab altera duntaxat parte *cauſa* defecerit, & res redierit ad non iustum *cauſam*; discrimen admiserunt. Eleganter CELSVS l. 32. D. de R. C. rem totam explicat: „&, quamvis tibi *mutuum* non dederim, tamen, quia mea pecunia ad „te peruenit, eam mihi a te reddi, *bonum & æquum esse*, teque *condic̄ione sine cauſa* compellendum esse, arbitratur. Ex *bono & æquo* igitur *condic̄io sine cauſa* nascitur, ut lucrum *iniquum* habentibus extorqueamus: neve illos, qui *sine cauſa* acceperant, cum damno nostro fieri locupletiores patiamur. Hoc probabili obtentu VLPIANVS, *donatorem*, quod *ex cauſa*, non omnino perfecta, tradiderat, petere posse arbitratur.

Sed de *accipiente* videamus. *Licet condic̄ione*, inquit, *teneatur*, *tamen dolii exceptione* *uti poterit*, quia secundum voluntatem dantis *nummi* sunt *consumpti*. Enimuero donator, dum repetit pecuniam, quam donandi animo dederat; *condic̄ionem ex æquo & bono* descendenter, in occasionem *fraudis* trahere, & lucri faciendi animo *uti remedio* videtur, quod propositum fuerat a legislatoribus, ut obicem hominibus cupidis opponerent, atque iniqum lucrum prohiberent. Neque enim donator suspicionem *fraudis* diluet, qui *factum suum* impugnabit, & quod illo consilio dederat, ut accipientis fa-



ceret, abusus eius errore, & modestia, reposet. Ne patri quidem **VLPIANVS** ignoscebat, qui post mortem filiae suae ansus fuerat, *aduersus factum suum*, quasi non iure illam emancipasset, controvensionem mouere: & l. 25. pr. **D. de adopt.** durum illud esse, & acerbum, arbitratur. Neque enim, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, cum donatoris damno locupletior fieri videtur; cum sua illud, si quod est, damnum, culpa, sua voluntate donator sentiat; ideoque illud omnino non sentire censeatur. **SCHILTERVS**^{a)} vel ex hac causa conditionem donatoris doli exceptione ab **VLPIANO** infirmari putat; quia donationem etiam alter, re comperta, consumendo acceptasse, & quidquid antea vitii fuerit, purgasse videatur. Sed pignore certarem, illud **VLPIANO** in mentem non venisse. Nam si acceptatam consumendo donationem credidisset; apparebat, non doli duntaxat *subsidiaria exceptione*, sed & rei donatae titulo, illum, cui res tradita fuerat, defendi potuisse. Illustr. **s. MVEL STRYKIVS**^{b)} vel ex hac sola ratione exceptionem dari credidit, quia **PAVLVS** atque **ARRIANVS** l. 47. **D. de O. & A.** vt faciliores simus ad liberationem, præceperunt. Sed sola iudicantium facilitas, nisi aliud quidquam causæ subsit, actorem æqua postulantem, vix repellat. Si rem ob origine repeatas, doli exceptionem prætor proposuit, ne cui *dolus* suus, per occasionem iuris civilis, profit contra *naturalem aequitatem*. Id enim **PAVLVS** l. 1. §. 1. **D. de dol. mal. except.** indicavit. Hinc actorem, qui donationem ex iuris subtilitate, infirmabat, factumque suum conditione impugnabat, **VLPIANVS** censet exceptione doli repellendum. Et habet rationem **VLPIANI** sententia, quod doli exceptionem concedit: *cum pacti*, quod *dissensu* contrahentium perturbatum existimabatur, *exceptio* dari non posse videretur; in cuius locum fere *doli exceptio* succedit. Qui enim *pacti exceptione* uti nequeunt, illos poscente *aequitate*, tamen exceptione doli usuros, **IVLIANVS** scribit, & reliqui plerique consentiunt, teste **VLPIANO** l. 10. §. 2. **D. de pact.** Et generatim, cum aliquid factum ab actore, quod fieri non oportuit, aut cum aliquid petit, quod exceptione elidi potest; secundum **PAVLLVM**, atque **VLPIANVM**, l. 20. **D. de except.** & l. 2. §. 5. **D. de dol. mal. except.** agentem doli exceptio repellit. Hinc fere cum pupillò solui, & delegari, sine tutoris auctoritate nequeat; tamen si soluerit ei debitor, & nummi salui sint, potentem pupillum, cum solutionis exceptione non posset, debitor exceptione doli submouebit. Id enim **PAVLVS** l. 15. **D. de solut.** præcepit. Ne te diutius teneam; donatorem, qui donationem imperfæctam aduersus factum suum impugnabat, doli exceptione etiam **IAVOLENVS** l. 25. **D. de donat.** repulit, & quid indicaret **VLPIANVS**, vere præiuit verbis conceptis: „Si rem, inquit, tibi dederim, vt meo nomine Titio dares tuque tuo nomine „dederis; quantum ad iuris subtilitatem, accipientis facta non vdetur; sed be- „nignius

^{a)} SCHILT. I. c. thes. XL.^{b)} STAYK. ad LAVTERBACH. h. t.

,,nignius est, si agam contra eum, qui rem accepit, me exceptione doli malis submoueri., Ergo doli exceptione repellitur, qui factum suum contra aequitatem impugnauit. Labeo doli exceptionem mitigat subinde, & præscriptione in factum data, auctorem, res donatas repetentem, excludendum arbitratur. „Si quis statuam, inquit, in municipio ea mente posuit, vt ea municipii esset, „& postea illam repetit, excludi eum oportet, præscriptione in factum data, l. 23. D. de except. Perinde, vt contra illos, quibus reuerentiam debemus, si doli exceptio competit, excipiendum esse in factum VLPIANVS l. 4. §. 16. D. de dol. mal. except. tradidit. Iniquum igitur videtur, quod animo alienandi & donandi tradideras, reposcere a possidente. Quapropter, ex mente VLPIANI, quæ ab initio non perfecta erat donatio, exceptione confirmatur, atque conualescit.

§. IX.

Accepisti mentem VLPIANI; sed magistrum artis, cui & VLPIANVS Monti evplerumque obtemperat, quemque & nos sequendum arbitramur, IULIANVM LIANI ex L. audiamus. „Cum in corpus, inquit, consentiamus, in causis vero dissentia-^{36.} D. de A. mus, non video, cur inefficax sit traditio?„ Ne credas partium studia a IULIANO, VLPIANVM seiuinxisse Repugnat enim IULIANE humanissimi ICti, ingenium: & quæ relicta sunt, comprobant: non auctoritate respondentium, sed consilio ipsum, & rationibus, moueri. Quamuis enim l. 5. D. manum. vind. IAVOLENV M, ex SABINIANORVM schola ICtum, laudet præceptorem suum, & cum alibi passim, tum l. 3. §. 6. D. de lib. & posth. SABI-<sup>R. D. expli-
catur.</sup> NI & CASSII, & l. 9. §. 1. D. de stip. seru. certe CASSII dicatur sententiam secutus; tamen ubi res postulare visa est, l. 6. §. 1. D. de lib. & posth. SABINIANOS deseruit: & præferre opinionem PROCVLI maluit; quam partibus, & præceptoribus dare, quod veritati detraxisset. Remota igitur ambitione, init rationem, omnia exquirit, non putat tantum, ut VLPIANVS, non haeret in lubrico; sed, vt TULLII verbis utar, quasi explicasset, atque excusisset omnem intelligentiam suam, & prouidenter circumspexisset, confirmato animo, non animaduertit, cur inefficax sit traditio, quamuis dis-
sentiant in causis contrahentes.

Sed forte IAVOLENV S, IULIANI præceptor, te perturbat, qui l. 55. D. de O. & A. „in omnibus causis, quæ dominium transferrent, sive donatio sit, sive quælibet alia causa contrahendi, nisi animus viriusque consentiat, perduci ad finem, quod inchoatum est, non posse, arbitratur.“ Permitit enim IULIANVS, vt transferatur dominium, quamvis dissentiamus in causis transferendi. Contra IAVOLENV nihil ratum habet, nisi de titulo & causa conuenerit inter contrahentes. Nec tamen existimo, IAVOLENO IULIA-
NVM hoc loco controuersiam mouere. Ne quis illam suspicionem concipiat



animo, pergit IULIANVS: „veluti, si ego credam, me ex testamento tibi
„obligatum esse, ut fundum tradam, tu existimes, ex stipulatu tibi eum de-
„beri: nam & si pecuniam numeratam tibi tradam, donandi animo, tu
„eam, quasi creditam accipias, constat. proprietatem ad te transire, nec
„impedimento esse, quod circa caussam dandi, atque accipiendi, dissensi-
„mus.„ Constat, inquit, proprietatem ad te transire: vt intelligatur, de illo
argumento non ambigi: hoc ius certum esse, eoque vti ciuitatem: cum IULI-
ANVS contra putet duntaxat, atque ab opinione communi se seiuingat.
Constat, si alter donandi animo dederit, tu quasi mutuam acceperis, quamvis
alter caussam, ex qua nihil reddi debeat, intellexerit, alter de caussa senserit,
ex qua res esset in genere reddenda; non impedimento esse dissensum, quo mi-
nus proprietas in accipientem transferatur. Hoc ius expeditum esse, & certum,
IULIANVS, arbitratur. Hinc igitur colligit: multo magis, si vterque ali-
quod negotium, quod eandem obligationem contineat, tractari & subesse ex-
istimauerit, dominium transire; quamvis in caassis *specialibus* interuenerit dis-
sensus. Veluti, cum alter ex testamento, alter ex stipulatu deberi fundum
crederet, sed vterque tamen *iure perfecto*, deberi rem existimaret. Nolim igi-
tur censeas, quod omnem traditionem IULIANVS, de cuius caussa fuerit ali-
quis inter nos dissensus, ratam esse iubeat, & sufficere existimet, si in corpus
consentiamus; quamvis inter nos plane non conueniat de caassis. Illud enim
oppido falsum est; nec potuisset a IULIANO, tanquam sententia communis,
& recepta, explicari. Quapropter fallitur omnino STRYKIVS, q) qui hoc
solo perfici negotium putavit, quod vterque & donans, & quasi mutuum acci-
piens, id egerint, *ut dominium in accipientem transferatur*. Supra enim a
nobis comprobatum est: proprietatem, nisi ex caussa idonea, in accipientem
non transire: & si tradens, rem absisse, aliaque caussa non adiecta,
velit accipientis fieri; donationis certe, cui accipiens non obliquetetur, aliquam
speciem subesse. Ausim affirmare, nunquam IULIANO in mentem venisse,
quod dominium transferri possit, quamvis in nullam omnino caussam con-
fissent contrahentes. Sed ostendunt species subiectæ, tunc demum ex IULIA-
NI sententia dominium transire, si non solum de proprietate transferenda; sed
etiam de generali quadam *caussa*, sine qua nunquam dominium transfertur,
conueniat inter contrahentes, quamvis in *specialibus titulis* dissentiamus. Ut
ecce: cum alter ex testamento, alter ex stipulatu rem *deberi*, quæ traditur,
existimaret; vterque generatim rem creditam esse, & *deberi* arbitrabatur;
quamvis ex altera parte, in caassis *credendi*, & *debendi*, error quidem nos
perturbauerit: item: cum tu *donandi* animo traderes, ego quasi *mutuum ac-
ciperem*; de eo inter nos conuenit: *liberalitatem*, cui, & in *donatione*, &

10

q) STRYK. ad LAYTERBACH. l. c.



in mutuo locus est, a te exerceri, & negotium gratuitum, inter nos contrahi; quamvis de liberalitatis specie dissentiamus. **IVLIANVS** igitur ait: sufficere, si de generali quadam causa transferendi dominii consentiamus. Quæ sententia habet rationem, cum & supra a nobis, vbi de errore in substantia, & qualitate, disputatum est, ostensum fuerit: generali etiam perfici negotia consenserunt; quamvis inter contrahentes non conueniat de speciebus. Ut ecce: cum in sexu erratum est: tu puerum emere putares, ego mulierem vendere; nulla emptionio, nulla venditio intelligitur: quia ne de genere quidem inter nos conuenit. Sed, „si ego me virginem emere putarem, cum esset iam mulier, ait **VLPIANVS**, valere emptionem: quia in sexu non erratum, *L. u. f. i. D. de contr. empt.* seu, quod idem est, quia sufficit, de genere nos consentire; quamvis de speciebus generis in partes diuersas abeamus. **IVLIANVS** igitur recte, si alter donandi animo dederit, tu quasi mutuum acceperis, transferri dominium, respondit; quia quamvis in specie dissentient, tamen in genus quoddam liberalitatis contrahentes consenserunt.

§. X.

Hæc tractata sunt, ut quid inter **IVLIANI**, atque **VLPIANI** sententiam intersit differminis, intelligatur. **DVARENVS**, nullam esse inter illos **IVLIANVM** controuersiam, indicat: alterum de dissensu ex errore, alterum de dissensu, & **VLPIA-** cuius vterque sibi sit conscientia, & quem destinatum appellare quis possit, dispu-^{NVM contro-}
tare.^{r)} Sed illustris ICtus studio pacis nimium indulxit: & non attendit, **IVLIANVM** de his, qui crederent, & existimarent, se ex alia causa dare, atque accipere; **VLPIANVM** de illis, qui alia opinione, ac datum esset, accepterint, in lege adducta respondere. Quæ vtriusque verba, nullam, nisi erroris, interpretationem recipere videntur. Igitur, non de dissensu illorum, qui pugnant inuicem atque contradicunt; sed de errore, qui prohibet consenserunt, quamvis litem ab initio non pariat, inter vtrumque ICtum disceptatur. **CVIACIVS**^{s)} ad duo capita retulit, **IVLIANI**, atque **VLPIANI** disputationem. Primo **IVLIANVM** scribere, teste **VLPIANO**: si alter animo donandi tradiderit, alter quasi mutuum acceperit, donationem non videri. Contra, largiri quidem **VLPIANVM**: quod ab initio non sit donatio; sed existimare, quod donatio exceptione dolii mali conualescat. Habes primum capit controuersiae tractatae. Deinceps **IVLIANVM** disputare: quod mutuum contractum, & dominium translatum sit; quamvis alter alia mente, ac datum fuerat, accepisset. **VLPIANI** vero sententia: nec mutuum esse; magisque numeros non fieri accipientis. Falso. Tacet **IVLIANVS** de mutuo: quod etiam **CVIACIVS** agnoscit; & se tamen audacter affirmare, profitetur: quod **IVLIANVS** crediderit, esse mutuum contractum. Neque **SCHILTERVS** multum

r) **DVAR.** in C. Si cert. pet. s) **CVIAC.** ad dig. l. c.



tum a **CVIACIO** discedit; sed neutrum ictum dubitare, credit, quod accipiens *condicione personali* teneatur. De *rei vindicatione* duntaxat nummis extantibus **VLPIANVM** cum **IVLIANO** controuersiam, atque dissensionem, exercere. *Audacter* certe *magnus CVIACIVS* definitissime modum controvrsiae videtur. Enimvero res tota sere ita accipienda est: **IVLIANVS** ait, quamvis in caussis dandi, atque accipiendi dissenserint, tamen translatum dominium videri: quia utriusque sententia generatim, in contrahendum negotium gratuitum, concurrat: & consensum in idem genus negotii sufficere, ut proprietas transeat; quamvis de caussis specialibus non contueniat inter contrahentes. Ita enim sensisse **IVLIANVM**, subiectæ ab ipso species videntur comprobare. De *mutuo* nihil adiecit **IVLIANVS**. Et quamvis, *donationem* non esse, scripserit; hoc tamen ita intelligendum est, ut ab initio *donatio*, *vtrinque expressa*, non esse videatur **IVLIANO**: sed statim tamen negotium ex *consensu tacito*, & probabili, quasi *donationem* iudicat valere. Hinc neque reali, neque personali, actioni locum esse. Habet mentem **IVLIANI**. **VLPIANVS** contra censet: non transiisse dominium; quia alia opinione res accepta, ac tradita fuisset: adeoque nec *donationem*, nec *mutuum*, contrahi *dissensu* potuisse: nummis extantibus teneri accipientem *rei vindicatione*; consumptis, *condicione sine caussa*: sed propter æquitatem, ne actori suum factum impugnare liceat; condicentem *exceptione dolii* submoueri: & *donationem*, quæ secundum *iuris subtilitatem* non valebat, *exceptione sustineri*.

§. XI.

IVLIANI *Explicata*, & disposita, est acies vtrinque: supereft, ut concurredimus. *Sententia* Nos quidem sub **IVLIANO** militabimus: & primo ex illa parte vincemus, *preferitur*. credo, qua **IVLIANVS**, dominium transferri, & efficacem esse traditionem, *probaturque* volunt. Nihil enim **IAVOLENVS**, atque **POMPONIVS**, morantur, postulantes: ut in transferendis dominiis maxime, voluntas eadem ex vtraque parte contrahentium concurrat. Sed probatum est: sufficere, si in *idem negotiorum* genus inter nos consentiamus. Et ausim affirmare, *mutuum esse speciem donationis*. Ita enim **SENECA**¹⁾ præcepit: „quemadmodum, inquit, „se, qui voluit mihi *pecuniam credere*, sed non *credidit*, nihil debo; ita ei, „qui voluit mihi *beneficium dare*, sed non potuit, amicus quidem ero, sed „non obligatus. Et volam ipsi aliquid præstare, nam & ille voluit mihi: ceterum, si benigniore fortuna usus, præstitero; beneficium dedero, non gratiā retulero. Ille mihi gratiam debet referre; huic initium a me fiet numerandi.“ Ergo & *mutuum beneficij* appellatione continetur. Sed luculentius **PAPINIANVS** L. 29. pr. D. de donat. & L. 82. D. de R. J. „*Donari*, inquit, *videtur*, quod nullo iure cogente conceditur.“ Ergo & *mutuum do-*

¹⁾ **SENECA**, lib. VI. de benef. cap. XI.



donationis naturam induit, quum, liberalitatis exercendæ gratia, nummorum meorum usus tibi gratis concedatur. Neque impedimento est, quod tantundem in mutuo, cum dies venerit, reddere iuberis. Nam & hoc beneficii loco accipis, quod meos nummos interim tuos faciam: & fons non exerceam, quod ex mea pecunia ad me redire potuisset. Illud enim fere POMPONIUS L. 9. pr. D. de donat. indicat: „in ædibus, inquit, alienis habitare gratis, donatio videtur: id enim ipsum capere videtur, quod mercedem pro habitatione non soluit. Potest enim, & citra corporis donationem, valere donationis. Veluti, si donationis causa cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam. Et, si non fundum, sed fructus perceptionem, tibi donem, fructus percepti venient in donationis computationem.“ Hactenus POMPONIUS respondit. Imo vere nec VLPIANVS hac parte resistere poterit, qui L. 18. §. 1. D. de donat. „si sernum, inquit, tibi tradidero, ad hoc, ut eum manumittas post quinquennium; non ante quinquennium agi poterit: quia videtur aliqua donatio inesse.“ Habet igitur donationem, cuius natura absoluitur, si aliquid gratis concedatur; quamvis reddi debeat aliquando, quod datum est: & usu finito locus sit exactio. Neque multum nos IULIANVS perturbabit, qui, L. 1. §. 1. D. de donat. „per donationem factum demonstrari, docet, quod ab eo profiscatur, qui liberalitatis exercendæ gratia, det aliquid, ut confessim faciat accipientis: nec ullo unquam facto ad se reuerti velit. De donatione enim eximia, seu propria, agit illo loco IULIANVS: & statim subiicit: posse donationem fieri, quæ sub conditione, etiam temporis, soluatur. Præterea certe usum illius temporis, quo mutuum duravit, nullo unquam facto ad se reuerti voluit ille, qui rem tradidit: neque id, quod interest, nisi scilicet ponat pecuniam, præstari. Sed non videris assentiri de dominio translato: quia, quamvis de liberalitate exercenda contrahentes consenserint; illos tamen in hanc beneficij speciem, quam mutuum solemus appellare, & quam accipiens animo propositam habebat, consensisse pernegabis. Primo quidem, non opus est, ut in eandem causam specialem utriusque sententia concurrat; sed vel generalem titulum sufficere, ut proprietas transire videatur, respondemus: quod a nobis supra demonstratum est. Sed, si perseueras, eximam tibi hunc scrupulum: &, tradentem quodammodo etiam in mutuum consensisse, affirmabo. Enimvero tradens etiam plus volebat: etiam irreuocabiliter, quod dicunt ICti, pecuniam transferre; cum tu dominium peteres, ex quo translato tantundem aliquando restituere volebas. Sed audiamus PAVLLVM L. 110. pr. D. de R. I. „qui in eo, quod plus est, semper & minus inesse, arbitratur; atque alio loco: qui putat, se decem dare iussum, cum quinque iussus sit: si decem dederit, heredem fieri censet adeundo, L. 74 pr. D. de A. vel O. her. Ergo, qui decem dederat, etiam quinque dedisse videbatur. Certe ita etiam POMPONIUS L. 52. D. de locati,

Euse. III.

D

re-



respondet: &, si ego, inquit, *minoris me locare sensero, tu pluris te conducere: utique non pluris erit conductio, quam quanti ego putauero.*, Et haber illud rationem, quod conductor, qui etiam in maiorem mercudem consenserat, potius illud minus, quod locator postulauerat, probaturus videatur. Non igitur cogitari ratio idonea poterit, aut animo effingi, ex qua quis nummos mutuos concedere negaret, quos etiam donare voluisse.

§. XII.

Quasi donacionem hoc loco valere, *Habes igitur primum argumentum, ex quo translatum esse in propositionem hoc loco valere, ta specie dominium intelligatur. Neque tamen facile me adduci patiar, ut quod quasi mutuum duntaxat esse, quod donandi animo traditum, & quasi mutuum muruum ac acceptum est, existimem; quamuis illud magnis & illustribus Ictis adcepsum est, omnino verius esse videatur. Quapropter, an non magis sit donatio offenditur.* dispiciamus; quamvis, si vel omnia alia deficiant, etiam quasi mutuum sustineatur. Et credo, donationem esse, quod gestum est inter contrahentes. Enimuero accipiens mutuum rogauit, aliquando, cum dies venerit, tantundem redditurus. Donator non negauit: sed illud, quod tradebat, reddi noluit; debitorem confessim liberavit: debitum remisit. Finge, accipientem noluisse rem donari. Certe donatio valebit. Possumus enim, si POMPONIO L. 23. D. de solut. obtemperamus, etiam iniuti, atque ignorantes, liberari; cum docente GAIO L. 53. D. de R. I., lure civili constitutum sit, ut liceat etiam ignorantis, atque iniuti, meliorem facere conditionem., Ex eadem caussa VLPIANVS, posse nos, etiam iniuto debitore, pecuniam constituere L. 27. D. de constit. pec. respondit. Mutuum igitur quod accepisti sed donandi animo a creditore traditum est; te liberato, quasi donatio valebit. Non multo secus enim HERMOGENIANVS L. 6. D. pro donat. donationis, inquit, caussa, facta venditione, non pro emptore, sed pro donato, res tradita usucapietur. Imo vero, ne putes aliud in usucapione, aliud in transferendo dominio, feruari; audiamus VLPIANVM, qui L. 36. D. de contr. empt. Cum in venditione, inquit, quis pretium rei ponit, donationis caussa non exacturus; non viderur vendere., Sed donare tamen certe censebitur; nisi forte, quod in fraudem legis venditionem simulauerit, intelligatur. Tunc enim demum, docente PAULLO L. 55. D. eod. t. nuda & imaginaria venditio pro non facta accienda est.

§. XIII.

Vtrum accipiens quasi mutuum, ac- *Sed ne quidem opus est, ut ad debiti remissionem decutramus. Puto enim, vel ex aliis causis donationem valuisse. Enimuero, remotis, ambigibus*

¹⁰⁾ CIVIAC. ad lib. XII. dig. tit. I. L. 18. edit. Fabrootti t. III. p. 711. Illustr. DR. DE BERGER Econ. iur. II. 18. n. 3.



gibus, & repagulis, quibus lex Cincia maxime, & ciuilis iurisprudentia, ceptasse do-liberalitatem infirmabat; IVSTINIANVS, simplicitati naturæ obsecutus, voluntatem domini, rem suam transferre volentis, ratam haberi voluit, & rei a domino traditæ proprietatem transire in accipientem §. 40. I. de R. D. & L. 35. C. de donat. Ne veteres quidem ab illa sententia abhorre-runt; sed consilio donantis maxime perfici donationem crediderunt. Nam eius, quod consulto datum est, donatio videtur, si PAVLLVM L. 53. D. de R. I. audiamus. Non quidem ausim affirmare, quod ANTONIO FABRO^{x)} & Perillustri Dn. PETRO A LVDEWIG^{y)} in mentem venit: donationem, etiam sine acceptatione, sola donatoris voluntate contineri. Docet enim natura agnoscendam esse liberalitatem illius, qui nobis beneficium tribuit: animique grati significationem ab illis edendam, qui aliorum benevolentia ornantur. Præterea lex 55. D. de O. & A. donationem con-sensu perficiendam esse, præcipit: quam legem constitutione IVSTINIANI correctoria, & stricte interpretanda, abrogatam esse, non putamus. Illud certe illustris G V N D L I N G I V S^{z)} insigni commentatione comprobavit. Expressa tamen, & solenni, acceptatione opus fuisse, non existimo: sed præsumptionem, quam dicunt, acceptationis, & probabilem conjecturam, de accipientis consensu sufficisse, ad negotium perficiendum, & naturæ leges indicant, & ciuilia præcepta. Enim vero, ut ridiculum videtur: si taceas confessim, quod pueri faciunt: si auertas vultum, & toruum videoas, cum liberalitas in te conseritur; si vocem non emittas, magis mutus, quam pescis; ita certe barbarum, atque incultum est, ubi donandi animo aliquid tradi-tur, continuo illud solenne: accepto, accipio; sonare: quasi tacta auricula donatorem, ne discedat a consilio, ne donationis, iam perfectae, memo-riam deponat, admonere: hominisque parum humani, parum modesti, speciem induere: ab illo, cui referre gratiam debebas, beneficium, sponte concessum, confessim cum vociferatione flagitare. Sed satis est, ad ha-minis grati officium tuendum: si te indigere opis alienae, quam petebas, vel certe gaudere de donatoris benevolentia, ex verbis expressis, aut aliis conjecturis, & indicis, intelligatur. Quod qui parum esse ad liberalitatem adquirendam credunt, nac! illi modestiae penas constituant, rusticitatem suadent, leges humanitatis euertunt. Ex conjecturis igitur de tuo consensu constet, necesse est, priusquam res donata adquiratur. At vero, ut nemo suum temere iactare creditur; ita probabile est ad fidem: gratum fore ac-cipientibus, si beneficium adquirant; nisi signis illud expressis repudient, atque auersentur. Paucitas enim, & raritas, caussarum, quae impedimen-

D 2

to

^{x)} FABR. error. pragmat. dec. 47. I. n. II.

^{y)} Perill. Dn. PETER A LVDE-WIG de donation. & barbari adnexus, acceptatione.

^{z)} G V N D L I N G I A N E

P. XXIX. p. 327.



eo sunt, ne oblatum beneficium accipiamus, efficit, ut neminem repudiare beneficium, nisi illud luculentius indicet, existimemus. Ita certe de liberis, qui in potestate sunt, **DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS AA.** **L. 18. C. de famil. heretic. rescripserunt:** „filiae, cuius nomine res pater comparavit. si non postea mutasse iudicium probetur, per arbitrium hereditatis diuidundae praecipuas adiudicari, ut sola patris expressa, filiae presumpta, voluntate beneficium perficiatur.“ Quod **ALEXANDER L. 2. C. si quis alt. vel sib.** etiam in extraneis probauit. „Nam, si emancipatis vobis fundos, quos nomine vestro, cum in potestate ageretis, patet emerat, tradidit; vel in possessione eorum, voluntate patrii fuistis; dominium adquisiuitis.“ Neque **DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS L. 6. C. de donat.** ambigunt: „etiam inter absentes, & maxime, si ex voluntate dominium possessionem, nanciscantur illi, quibus donatum est, esse validas donationes.“ Obluctatus enim, si non contentaret, aut quod acceperat, redditurus videbarur. Qua de causa **VLPIANVS L. 16. D. de donat.** etiam ex hac scriptura: *Sciant heredes mei, me vestimenta mea libertis viuum donauisse*: dominium ad libertos credit benigna interpretatione pertinere: quia & illi consensisse in donationem patroni confebantur. Quod adduxit **CARPZOVIVM**, ut *donationem per epistolam* etiam sine acceptatione subsistere, doceret: *a) ANGELVS, b) cum ICrorum grege non exiguo, si praelens non contradicut*, qui rem accipit, vel, si etiam donatorem rogauerit, ut rei in se dominium transferret; quia luculenta sit voluntatis significatio, atque inde colligatur consensus: illum *sine acceptatione* rem donatam sibi adquirere, putauit. Ex quibus causis ille, qui rem donatam, quasi mutuum accepit, cum antea mutuum *rogauerit*, sequitur indigere pecuniae alienae indicauerit, probabili conjectura iudicatur ab initio consenseris fuisse in donationem. Imo vero, quamuis ab initio *nesciat*, rem, quae apud se est, sibi donatam esse, illoque casu **PAVLVS L. 10. D. de donat.** *dominium non transire*, doceat: tamen cum dominium ex traditione, & consensu in generalem caussam, adquisuerit, quod supra demonstratum est: & postea cognito donatoris animo donandi, rem retineat, neque id, quod quasi mutuum sibi tradi crediderat, reddat donatori; de *consensu eius*, atque *acceptatione*, dubitari non poterit; sed donatio iam perfecta conualescet. Non multum **SCHILTERVS** nos moratur, qui *ex postfacto* non conualescere, quae ab initio inutilia sint, monebat. Haec enim iuris regula, quam ex **L. 210. D. de R. I.** repetit, de *institutione heredum inutili*, & de testamentis, praecipit, quorum formula *solennibus regulis & certis*, definitur. Haec talia, si ab initio vitiosas sunt; ex post facto non sanantur.

Sed

*a) CARPZ. constit. II. 12. def. XXI. n. 4. & 5. A EUDEWIG. l. c. pag. 30.
b) Conf. 183.*

Sed solennem acceptationem donationis nunquam desiderarunt ciuilia praecpta. *Donatio enim nudo consensu continetur: qui, si etiam postea acce-*
dat, negotium, antea inualidum, confirmat. „*Vti enim pater, l. 31. §. 2.*
,D. de donat. qui filiae, quam habuit in potestate, mancipia donavit, &
,peculium emancipata non ademit, ex post facto donationem videtur per-
,fecisse:,, ira eriam ille, qui rem donatam, antea quasi mutuam accepit,
postea donatam esse intellexit, nec reddidit, sed in sua commoda conuertit:
ex post facto censetur donationem acceptasse, & liberale negotium suo con-
senstu perfecisse. Res tota disputatione non indiget. Enim vero, si absenti
per epistolam donabis, non poterit ille, nisi ex post facto, consentire: sed
valere tamen donationem, imperatores rescriperunt. Quod si igitur postea
contentias, negotium valuisse ab initio censetur. Luculenter enim id
POMPONIUS l. 16. D. de solut. affirmat. „*Sub conditione, inquit, si*
,acceptum feratur; postea conditione existente, intelligitur iam olim
,liberatus.,

§. XIV.

Sed PAULVS, atque VLLPIANVS, obloquuntur, qui l. 69. D. Quid in-
de R. I. & l. 19. §. 2. D. de donat. inuito beneficium non dari, neque libe-
ter inuitum, & non vo-
ratilitatem nolementibus adquiri, tradiderunt. Vix tamen est, quod illa noscentem, dis-
putatio a sententia abducatur. Quamuis enim ignorans, & inuitus, nemo criminis in-
dona
re videatur: in quam sententiam DIOCLETIANVS & MAXIMIA-
NVS AA. l. 10. C. de donat. rescriperunt: nec errans quisquam rem suam
amittere dicatur: quod VLPIANVS l. 35. D. de A. R. D. docuit: ideo-
que etiam ille, cui res donata est, eodem iure censendas sit, & ne ipsi
quidem oblectanti liberalitas, & beneficium, obrudi possit; tamen superest
nonnihil praesidii, quod illum, qui rem donatam, quasi mutuam acce-
perat, defendet. Primo enim caueas, suaserim, ne continuo illum, qui
per errorem non consensit, omnino nolle & inuitum accipere rem dona-
*tam, arbitreris. VLPIANVS l. 3. D. de R. I. „*eius est nolle,* inquit. qui
,potest velle: ut intelligatur, non omnes illos nolle, qui per errorem, &
ignorantiam, re non perspecta, ne velint, & consentiant, impediuntur. Cum cura enim CELSVS l. 189. D. de R. I. haec sciungit: & pupillum,
quamvis velle, nisi tutoris auctoritate inter osita, dici non possit, tamen
nec nolle, sed non velle duntaxat, arbitratur:) Finge igitur, non con-
*sensisse per errorem, non voluisse rem donari, qui illam, quasi mutuam
 accepit; tamen nec voluisse dicendus est, aut repudiasse rem donatam.
 Deinde si probabili conjectura, consensurum esse alterum, ex rerum argu-
 mentis colligamus; illum, qui non contradicit, consensisse arbitramur.
 VLLIANVS certe l. 2. §. 2. D. solut. matr. filiam, nisi evidenter contradicat,**

D 3

con-

CVIAC. obl. XXIII. lib. XV.



consentire patri censuit, dum de dote experitur: & si furiosam filiam habeat, quasi ex voluntate filiae, videri patrem experiri; cum, ubi non potest per dementiam contradicere, consentire illa merito credatur. Et, quamvis, si sapiat, scire illam, quid geratur, exigamus; tamen ille, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, non solum priusquam nummi traderentur, mutuum rogauit, & generatim, se in liberalitatem consentire, ostendit; sed postea etiam, cum rem donandi animo traditam, reperta epistola, intellexisset; factis voluntatem, & consensum declarauit: rem donatam retinuit: quasi mutuam non reddidit:గ tam sibi esse donationem, atque acceptam, indicauit. Ut adeo non solum, non contradixisse, nec præsumpto duntaxat, nec generali tantum, sed vero, & speciali, quamvis tacito, & factis declarato, consensu rem donatam acceptas-
te videatur. Voluntatem enim etiam factis declarari, illaque perfici negotia, quæ nudo consensu continentur, V L P I A N V S L. 14. D. locat. comprobauit: „qui ad certum tempus, inquit, conduxerat, finito quoque tempore colonus „est. Intelligitur enim dominus, cum colonum in fundo esse patitur, ex inter-„gro locare: & eiusmodi contractus neque verba, neque scripturam vtique de-„siderant, sed nudo consensu conualescunt.,, Præterea I V L I A N V S L. 12. D. de reb. dub. generatim in omnibus negotiis, si res ambigua esse videatur, id magis accipiendum esse docuit, quo res valeat, quam pereat, & distrahabatur.

§. XV.

Maiorem Denique & illis respondeamus, necesse est, qui in transferendis dominiis, *dantis, quam si de causis* inter nos dissentiamus, *opinionem accipientis* potius, quam *dan-*
accipientis, *tis* sequendam esse: & in hac specie, quam tradamus, rem non tam *donatam,*
habendam quam *ex sententia accipientis, mutuam* videri, arbitrantur. Sed huic disputa-
esse ratione, ostendi- tioni varie poterit occurri. Primo enim oppido falsum est, in transferendis
dominiis, si res dubia fuerit, maiorem *accipientis*, quam *domini tradentis,*
habendam esse rationem. Audiamus V L P I A N V M l. 13. D. de donat. præci-
pientem: „si dominus quod mihi donatum voluit, seruo communi tradidisset:,,
ille quasi socio adquisitus accepisset; non ex mente serui *accipientis* aestimari
negorium; sed mihi, ex voluntate *domini tradentis*, rem adquiri. Nam &
si, inquit, procuratori meo hoc animo rem tradiderit, ut mihi adquirat, ille,
quasi sibi adquisitus, acceperit, nihil agit in sua persona. Enimuero in aliis
negotiis, in quibus dominus liberalior est illo, qui rem accepit, idem obserua-
tur, ut magis *voluntati domini*, quam *accipientis* obsequamur. Hinc etiam
P O M P O N I V S l. 52. D. locat. respondebat: „si ego minoris me locare sense-
„rim, tu pluris te conducere; vtique non pluris futuram conductionem, quam
„quanti dominus putasset.,, Hoc enim naturæ conuenit, liberalitatis modum
domini arbitrio constitui potius, quam *accipientis* voluntate definiri, inuito
do-



domino, & in damnum incurrente, si accipientis voluntati obtemperare tenetur.

§. XVI.

Ex his igitur rebus, quæ haecenius disputatae sunt, illud intelligitur: dominium nummorum, ad illum, qui quasi mutuos accepit, transisse; quia in eandem causam generalem, & idoneam, vterque contrahentium consensit: imo dici posse, quod donator etiam in mutuum consenserit; cum, qui plus concedat, etiam in minus consensisse videatur: sed illum, qui rem, quasi mutuam accepit, voluntate domini, qui donandi animo, non exacturus, dederat, confessim liberari, si vel non consentiat; cum possimus, etiam inuitum atque ignorantem liberare: sed magis iure donationis perfectæ negotium valere; cum, qui rem donatam, quasi mutuam accepit, sed postea, donatam esse, intellexit; non solum generatim probabili coniectura etiam in donationem consensurus fuisse videatur: sed & postea factis declarauerit, se liberalitatem donantis agnoscere, & beneficium concessum acceptare. Quæ voluntatis significatio, negotia, quæ nudo consensu contrahuntur, ita perficit, vt, quamvis ille consensus tacitus ex postfacto accesserit, tamen negotium ab initio valuisse censeatur. Quapropter, neque rei vindicationi, neque conditioni certi ex mutuo, neque conditioni sine causa, locus est; sed istam exceptio rei donatæ & dominii translati, illam donationes, vel, si maius, liberationis, & remissionis, hanc demum dominii, & donationis, & consensus interpositi, prohibent & disoluunt. Commenta, quibus multi rem implicatam expedire laborarunt, vix operæ pretium est, vt longa disputatione infirmemus. Nam ne illa quidem, quæ CYRILLVS, STEPHANVS, ENANTIOPHANES, aliique Βασιλεῶν interpretes, ^{d)} ad rem sanandam, attulerunt, quamvis speciosius dicta sint, multum negotii legentibus facebant; sed facili ratiocinatione dilinuntur. Illud ferri non potest, quod NICAEVUS ^{e)} VLPIANVM de subtili iure disputare, IVLIANVM contra VLPIANO non contradicere, sed benignam tantum legis interpretationem ex æquitate adferre, arbitratur. IVLIANVS enim non sola interpretantium benignitate, sed stricto etiam iure, dominium translatum esse, censuit. Quod ex verbis: *non animaduerto, constat, & tota disputatione* *ne IVLIANI, facile cognoscis.*

^{d)} LL. Βασιλεῶν tom. III. edit. Fabrott. pag. 274 seqq.
lit. D.

^{e)} L. c. pag. 273.



DISSERTATIO
DE PVBLICA CEREMONIA
QVA VRBES CONDEBANTVR.
EX ANTIQVITATE ROMANA.

VITEMBERGAE, D. IVLII A. Q. S. P. E. MDCCXXXI.

Superstitiones in urbibus condendis. **D**atur hæc venia antiquitati a plerisque, vt, miscendo humana diuinis, primordia urbium augustiora faciat. Quas cum fruendæ iustitiæ caussâ ^{a)} institui, aduersus vim improborum, latronumque impetum, molitionibus muni- ri, atque ad percipienda illa omnia, quæ diuino beneficio hominibus obtige- runt, comparari, denique ad colendam amicitiam, mutuamque opem sociis se- rendam, tecta & domicilia coniungi, illisque rebus salutem, & utilitatem, omnium communem contineri, homines intelligerent; cum bonis omnibus, votisque, ac precationibus deorum, dearumque, *urbes* excitandas, & magis religione ^{b)} cingendas esse, quam moenibus, arbitrabantur. Quæ, quan- quam reëste a veteribus existimata sunt; tamen errore depravata, atque in occa- sionem augarum tracta, innumeræ solitudines, & vanissimos timores, pepere- runt. Iuuabit *superstitionum*, quæ per omnes proptermodum gentes fusæ sunt, oppresseruntque animos, atque hominum imbecillitatem occupauerunt, vestigia notare: & Romanae reipublicæ inprimis, qua nulla nec maior, nec fere sanctior, nec bonis exemplis ditionis habet, *religiones* obseruare: quibus tanto magis ad defendenda *eternæ urbis* mcnia animi ciuium accendebantur; quando cer- tius deorum illa numine teneri, illorumque esse in tutela, & quasi propria, existimabant. Ut intelligatur: *diuinarum rerum procuratione* non frangi ani- mos; sed erigi, & confirmari,

§. II.

Quid inter urbem, opem, terram, & genii, dissipatos homines vnum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa torium, ad iustitiam, ac mansuetudinem, traduxerunt. Tum res communem utilita- tem

^{a)} CIC. II. de offic. c. 12. ^{b)} CIC. de nat. deor. III. sub fin. ^{c)} CIC. pro P. sext. p. m. 668. & de nat. deor. III. c. 40.

tem continent, quas *publicas* appellamus, tum conuenticula hominum, quæ *civitatem*, *civitates* nominatae sunt, tum *domicilia coniuncta*, quæ *urbes* dicimus, in *discriminis* uento diuino, & humano, iure *moenibus separantur*. *Coniuncta* igitur & *interficit*. *septa moenibus domicilia*, Romani *urbes* appellabant: sed *urbes* non nisi *inuenienti diuino iure*, quod rede *TULLIUS* affirmat, inuenitisque superstitionibus, nominari ceptæ. Ipsum enim nomen ab illa ceremonia & religionibus descendit, quibus *urbes* condebantur: id est ab *urbo aratri*, quo opida, *religionis causa*, circumducta sunt. Explicate illud *VARRO*^{a)} tradit: „opida, „inquit, condebant in Latio, Etrusco ritu, multa: id est, iuncis bubus, tau- „ro, & vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant, *reli-* „*gionis causa*, die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Postea, quod „siebat *orbis, urbs*: quare & *opida*, quæ prius erant *circumducta aratro*, ab „*orbe, vel urbo, urbes*: & ideo *coloniae* conduntur, ut *urbes*, quia intra po- „mcerium ponuntur.. Ne credas, illud a posteris fuisse ignoratum; etiam *POMPONIVS* I. 239. *f*). *D. de V. S.* „*urbs*, ait, ab *urbo* appellata: *ur-* „bare enim, est: *aratro definire*: & *Varus* docet, *urbum* appellari curuatu- „ram *aratri*, quod in *urbe* condenda adhiberi solet.. Ex quibus rebus intel- ligitur, propter *religionem*, qua *urbis* ambitum *aratri* curuatura imbuebat, *urbes* appellatas, & sanctitatem in manibus custodiendis constitutam. Qua- propter *ROMVLVS* apud *NASONEM*^{e)} præcipit:

Nene quis aut muros, aut taetam vomere terram,
Transcar; audentem talia deder neci.

Curuationem enim buris, seu dentis, cui præfigitur vomer, *vruum* appella- bant, ex quo fere, *curuum*, quasi *couruum*, descendere, non videtur a fide alienum. Audiamus *FESTVM*,^{f)} qui illud paullo impeditius *EX ENNIO* enarrat: „*VRVAT. ENNIUS* in Andromeda: significat: *circundat*: ab eo „*sulco*, qui sit in *urbe* condenda; *vruo aratri*: qui sit forma simillima, *vnci-* „*nia curuatione buris*, & dentis, cui vomer præfigitur.. Ex quo loco potest intelligi, *urbis* fines non solum *urbo*, sed etiam *ad eam formam*, quæ *curua-* tionis suis *buris* in *aratro* simillima sit, a veteribus descriptos. *Buram* enim, seu *burim*, si *VARRONIS* & *ISIDORO*^{h)} obsequamur, a *bubus* dictam, alii a *curuatione curuum* appellarunt. *Vnde*, & *imburum*ⁱ⁾ fictum est, ab *vruo*, quod ita inflexum, ut redeat sursum versus: ut in *aratro*, quod est *urbum*. Alio loco *ISIDORVS*,^{k)} *urbem* ab *orbe* appellatam, tradit, quod antiquæ *civitates in orbes factæ* viderentur. Sed ab *orbe*, an ab *urbo*, *urbem*

dixe-

- ^{a)} *VARRO* de lat. ling. I. IV. c. 32. edit. Gothofr. p. 23. ^{e)} *ovid. fast. I. IV.*
v. 839. ^{f)} *PEST. v. Vruat.* edit. Scal. p. 309. ^{g)} *VARR. lat. I. IV.*
c. 31. ^{h)} *ISIDOR. origin. I. XX. c. 14.* edit. Gothofr. p. 1324. ⁱ⁾ *VAR-*
ROL. lat. IV. c. 27. p. m. 22. ^{k)} *ISIDOR. orig. XV. 2. init. p. m. 1191.*

Fasc. III.

E



dixeris, non in magno discrimine ponendum. Videtur enim ab *vrbo* etiam *orbis* descendisse. *Vrbem* igitur *coniunctionem domiciliorum* appellaueris, *septam moenibus, quorum ambitus, religionis causa, aratro designatus.*

Sed ab *urbibus* omnino multi *opida* sciungunt: hec & angustiori spatio locorum contineri: & sine murorum munitione obuia, & aperta, constitui comminiscuntur. Sed horum sententia ab ignoratione antiquitatis prosecta est. Enim vero illi cum *opidis* *vicos* misceuerunt: qui teste *ISIDORO*¹⁾ vel a *vicinis* habitatoribus, vel quod sint *vice ciuitatis*, vel quod vias tantum habeant, sine muris & munitionibus, vel, si *VARRONEM*²⁾ audiamus, quod ab *vraque viae* parte sint *aedificia*, & *via* per ipsos transeat, *vici* nominantur.

Sed *opida*, quæ prius *circumducta* sunt *aratro*, ab *orbe*, & *vrbo*, *urbes* appellarunt, quod supra ex *VARRONE* didicisti: & si ipsi auctori credimus, maximum *aedificium*, ab *ope*, *opidum* dictum est, ³⁾ quod *munitur opis causa*, vel quod *opere munita* sunt *mcenia*, quo *munitius* cives habitarent. Ergo & *muros* habuerunt & communicato utroque nomine, & *opida*, & *urbes* appellata sunt. *ISIDORVS*⁴⁾ *opida* ait, magnitudine, & *mcenibus*, a *vico*, *pago*, & *castello* discrepare. Ne credas *VARRONEM* & *ISIDORVM*, ut alias sœpius, illis in locis ineptire; idem etiam *TULLIVS* affirmit, qui ⁵⁾ *coniunctionem* *teclorum*, quam locis, manuque sepissent, *opidum*, & *urbem*, appellari, docet, delubris spatiisque communibus distinctam. Ergo quæ *opida*, eadem *urbes*: & promiscue etiam a portis dicta sunt. *MANILIVS* idem fidus, eundem diem condendis *urbibus*, & euertendis eodem ritu *opidis*, opportunum arbitratur. Audiamus *MANILIVM*: ⁶⁾

Scorpius extrema cum tollit lunina caudæ,
Vrbibus angebit terras: iunctisque iuuenis.
Moenia subincens curvo, describer aratro;
Aut sternet positas urbes, inque arua reducit
Oppida.

Eodem igitur ritu, & *urbes*, & *opida* conduntur. *SERVIVS* certe *SVLPI-*
TIVS in consolatione ad *M. TULLIVM*: ⁷⁾ „Aeginam, Megaram, Corin-
„thum, *opida*, illorumque ruinas cadavera, *opidum* appellat, quæ quodam
„tempore florentissima fuerunt: „ ut intelligatur, male illos argutari, qui *opi-*
da effingunt, spatio angustiori, quam *urbes*, contineri. Sed ipsa præterea no-
minis ratio docebit, nihil inter *opida* & *urbes* interesse. *ISIDORVS*⁸⁾ vel
ab *oppositione* *murorum*, vel ab *opibus* reconditis, quia *munitum* sit, vel
quod sit in eo conuentus habitantium, qui *open* dent *mutuam* contra hostem,
opi-

*I*bd. ibid. f. ¹⁾ *VARRO* I. l. IV. c. 32. p. 23. ²⁾ *VARRO* I. l. ³⁾ *ID.*
lib. IV. ling. lat. c. 32. init. ⁴⁾ *Orig.* XV. 2. p. 1191. ⁵⁾ *CIC.* de rep.
l. VII. ⁶⁾ *MANIL.* l. IV. Astron. v. 563. ⁷⁾ *CIC.* ep. ad fam. l. IV.
ep. V. §. 9. 10. ⁸⁾ *ISIDOR.* *orig.* XV. 2. p. 1191.



opidum dictum a veteribus, affirmat. Nam primum homines, tanquam nudos, & inermes, nec habuisse contra bellus praesidia, nec frigoris & coloris receptacula, nec ipsos inter se homines satis tutos ab hominibus fuisse. Tandem naturali solertia speluncis, & tegumentis sylvestribus, sibi contextuisse virgultis, arundinibusque, casas, & tuguria, quo esset vita tutior, ne iis, qui nocere possent, aditus pateret. Hanc *opidorum* esse originem: quae, quia *ope* darent, *opida* videri nominata. Sed nihil ISIDORVS me moueret; nisi & VARRONIS ^{u)} auctoritas accederet, qui „*opidum* ab *ope* dictum tradit, quod „munitur *opis* causa: & quod *opus* est ad vitam gerendam: vel quod *opere* „munita mœnia, ut munitius esset, „loco a nobis supra citato, commentatur. Sed neque aucte illi syllabarum, POMPONIVS ICTUS hoc ignorauit. Lege enim 239. §. 7. D. de V. S. *opidum*, inquit, ab *ope* dicitur, quod eius rei causa *mœnia* sint constituta. PAVLLVS etiam, POMPEII FESTI in glorius interpres ^{x)} *opidum*, quod *ope* præbeat, vel ibi homines *opes* suas conseruant, appellat. Sed, quamvis affirmare non ausim, ab *ope* danda *opidum* deduci; in primis, cum, eodem teste PAVLLO ^{y)} ipse etiam Tullius lib. I. quidem de gloria, *opidi* appellationem, usurpatione frequentatam dicat, quod *ope* darent *opida*: sed, in illa sententia se imitari stoicorum ineptias, profiteatur, qui in singularum vocum singulis particulis quosdam fontes querunt, ex quibus nomina descendant, rerumque natura cognoscatur; id tamen ex tanto veterum in illa re consensu cognoscitur: eodem consilio, eodem iure, *opida*, atque *urbes*, constituta: ad eandem commoditatem, & eosdem securitatis fructus capiendo, comparata. Poteram longior videri; sed illud omittere non possum, quod me maxime in sententia confirmat. Ipsi etiam carceres, unde equi, seu, quod PAVLLVS ait, ^{z)} *quadrigæ* in circu emittuntur, „*opidi* nomen acceperunt; quod a muri parte, id est, ab *opido*, pinnis turribus „que olim carceres fuerunt. Ita VARRO ^{a)} rem enarrat. Vides, ipsam etiam Romam, quam quis *urbem* *urbium* non incommode dixerit, *opidum* subinde nominari. Sed luculentius idem VARRO ^{b)} Romam in agro Romano haberi vetustissimum *opidum* affirmit. Vir summus IOSEPHVS SCALIGER ^{c)} monet opportune: quotiescumque *opidum* veteres appellant, & nihil adilicant, Romam veterem, quam ENNIUS *quadratam* dixerit, notari. Sed *quadrata Roma* in Palatio, ab ipso Romulo, faxo quadrato munita est; ^{d)} vt dubitari non possit, illum *opidum* *urbis* appellatione contineri.

Habes igitur *urbes*, in quas etiam *opidi* nomen conuenit. Sed alias *urbes* esse, alias *ciuitates*, ^{e)} docet ISIDORVS. Has enim dici ait, in quibus

E 2

non

^{u)} VARRO L. ling. IV. c. 32. init. p. m. 23. ^{x)} FEST. VOC. oppidum p. 140.

^{y)} FEST. ibid. ^{z)} FEST. VOC. oppidum p. 145. ^{a)} VARRO lat.

ling. IV. c. 32. p. m. 25. ^{b)} VARRO de R. rust. III. c. 2. ^{c)} SCALIGER ad VARRON. I. IV. p. 185. ^{d)} FEST. VOC. quadrata, p. 144.

^{e)} ISID. orig. XV. c. 2. p. m. 1191.



non aduenae, sed eodem innati solo, considerunt. Præterea ciuitatem, non saxa, sed habitatores, urbem vero menia notare. Græci nihil distinguunt. Vulgatum est illud: Αὐδῆνες εἶναι πόλιν νοεῖ & τοιχούς; urbem ciuitibus, non moenibus, construere. Nec Romani videlicet rarius utrumque nomen miscuerunt, VERRIVS FLACCVS apud GELLIVM f) Senatum dici, & pro loco, & hominibus: ciuitatem, & pro loco, & pro opido, & pro iure quoque omnium, & pro hominum multitudine subinde. Contra ad cines, etiam urbis appellatio refertur. VIRGILIVS g)

— — — Urbem somno, vinoque, sepultam,
commemorat: atque apud eundem pater Tiberinus h) Trojanorum colle-
ctam manum, quam Aeneas adducebat, urbem Trojanam, & æterna Per-
gama, appellat.

O fate gente Deum, Trojanam ex hostibus urbem
Qui reuebis nobis, æternaque Pergama fertus.

Ipse ISIDORVS i) urbes a propriis ciuibus conditas, ciuitates nuncupat:
ut doceat inter urbem & ciuitatem, id, quod inter speciem, & genus, in-
teresse: magis tamen ciuitatem, pro ciuibus, urbem pro ambitu tectorum,
qua moenibus iisdem continentur, accipimus.

Sed præterea, quoisque porrigitur urbis appellatio? dicendum.
PAVLVS l. 2. D. de V. S. urbis appellationem ait, muris finiri; quam-
uis Romæ nomen etiam ad continentia ædificia pertinere videatur: quod la-
tius pateat. Urbs enim, secundum MARCELLVM l. 87. D. de V. S.
dicitur Roma, qua muris cingitur; sed Roma, qua continentia ædificia
sunt: cum Roma non muris terminari existimetur. Quapropter, teste
TERENTIO CLEMENTE, l. 147. D. de V. S. qui in continentibus urbis
nati sunt, intelliguntur Romæ nati, quamvis non in urbe nati sint: & do-
cente MACRO l. 154. D. de V. S. mille passus non a milliario urbis, sed a
continentibus aedificiis, numerandi sunt. Romæ igitur nomen propter ce-
lebritatem, consuetudine hominum, etiam ad loca extra urbem, abusione
quadam prolatum est: quamvis urbis nomen meonibus terminaretur. Ex-
tra urbem vero loca, & agrorum etiam universitatem, intra fines cuius-
que ciuitatis, communi nomine territorium appellant. Ita POMPONIVS
l. 239. §. 9. D. de V. S. definiuit. Et VLPIANVS l. 41. §. 5. D. de
leg. l. aedes, quae in territorio sunt, nominat: nec prohibet corpora, per
ciuitatum territoria transferri l. 3. §. 4. D. de sep. viol. Eousque per-
tinet ius ciuitatis. Sed extra territorium ius dicendi impune non paretur;
si PAVLVM l. 20. D. de iurisd. audiamus. Hinc fere POMPONIVS
l. 239. §. 8. D. de V. S. territorium ab eo dictum ait, quia magistratus

f) GELL. noſt. Att. l. XVIII. 7.

Aen. VIII. v. 36.

g) VIRG. Aen. II. v. 265.

i) ISID. l. c. p. 1191.

e us

h) 10.



eius loci intra eos fines ius terrendi, seu submouendi, habeant. **VARR**o contra ^{k)} a terendo territorium, quod maxime teritur, appellat. **ISIDOR**VS magis apposite, ^{l)} quasi tauritorium, tritum bubus, & aratro, ait nominari. Quod videri posset probabile ad fidem, cum constet, antiquos, *fulco ducto*, possessiones, & limites territorialium, designasse. Ex quo loco intelligitur, non *urbis* duntaxat *ambitum*, & moenia, sed etiam *fines ciuitatis*, *aratro* definita. Aut omnia me fallunt, aut **TULLIVS** ^{m)} etiam illud indicare voluit, dum M. Antonium accusat: quod, cum Casilinum coloniam dedereret, *aratri vomere* portam Capuae paene perstinxit, ut florentis coloniae territorialium minueretur. Videtur enim *fulco* nouae coloniae, *fulcum* Capuae, & *fines*, *extra portam*, perturbasse. Id certe constat, non sola moenia nimirum, sed omnia, quae finibus certis regerentur, etiam aedes priuatas, Romanos *fulco* descripsisse. Ita **MARO**: ⁿ⁾

Pars optare locum tecto, & concludere fulco.

Sed quidquid illorum fuerit, certius est, *territorium a terra*, quae ipsa vox incertae originis videtur, proficisci & omnem *terram*, certis *finibus* inclusam, continere. **SALMASIUS** ad **SOLINVM** ^{o)} e frontino obseruat: *structuras lapideas quadratas, in finibus territorialium pro terminis subinde collocatas.* Habes igitur *urbes*, quae & *opida*, & subinde *ciuitates*, dicebantur. Habes etiam *territoria*, quae ad *urbes* pertinebant. Sed nos quidem ad *urbes* subsistemus.

§. III.

Non videbatur tam arduum negotium, quod utilitatem communem *Urbes att*-
contineret, sine Deorum immortalium, quorum in tutela *urbs* esse debeat, ^{spicato consilio,} & voluntate, aut recte suscipi, aut administrari; sed deprecandum, ut tantis oris successus prosperos darent. Eraf ea tum superstitio,
Deorum nutum, *cæsis hostiis*, avibus *cælo missis*, intelligit. Hinc *urbes*
auspicato, impetratoque Deorum consensu, condebantur. Patres Romani
certè apud **LIVIVM** ^{p)} contemnunt plebem, quod penes se duntaxat,
non penes plebeios, more maiorum sint *auspicia*: cum nemo ignoret,
auspiciis conditam hanc urhem: auspiciis bello, ac pace, omnia administrari. **VARR**o ^{q)} cum *opida* conderent in Latio, die *auspicato*, *religio-*
nis caussa, iunctis bubus *fulcum* aratro circumactum, more Etruscorum,
docet. Si Poëticis fides est, audiamus **ENNIVM**, ^{r)} quo teste,
Auguto augurio quondam inclita condita Roma est.

E 3

Sed

^{k)} **VARR** I. lat. IV. c. 4. ^{l)} **ISID.** orig. I. XIV. c. 5. f. p. 1174. ^{m)} **CIC.**
Philipp. II. p. m. 852. ⁿ⁾ **VIRG.** Aen. I. v. 429. ^{o)} **tom.** I. p. 7 D.
^{p)} **LIV.** I. VI. c. 42. ^{q)} **VARR** de ling. lat. IV. c. 32. ^{r)} **ap. VARR.**
de R. R. I. III. c. 1. & ap. **SVET.** in vit. Aug. c. 7.



Sed **C A I U S I V L I V S S O L I N V S** ¹⁾ diserte Romulum ait *auspicato* iecisse murorum fundamenta. Ut Deorum igitur voluntatem exploraret Romulus, hostiis illos, & solenni sacrificio placauit: comites adhibuit, iussaque rem diuinam perpetrare. Ita scriptor diligentissimus, **D I O N Y S I V S H A L I C A R N A S S E N S I S** ²⁾ tradit: προεπών ὁ Ράμυλος, εν ἡ τὸς θεὸς ἀρεσάμενος, (placatis diis) ἐμέλλε τὴν αρχὴν τῶν ἔργων ποιήσαθαι &c. ὡς ἦκεν ὁ συγκέμενος χρόνος, αὐτὸς τε προθύσας τοῖς θεοῖς, καὶ τὸς ἄλλας πελεύσας κατὰ δύναμιν τὸν αὐτὸν δέων &c. Ita a loue impetratum, ut missis *aquilis*, probatum sibi esse institutum, indicaret: **D I O N Y S I V S** enim ³⁾ tunc ipsum primo *aquilarum* esse *vsum auspicio*, affirmat: ἐγνῶσ μεν πρῶτον πετεῖς λαμβάνεις. Alī ex **P L V T A R C H O** ⁴⁾ *vultures* Romulo oblatos, contendunt. Sed illi res duas, inter se diuersas, non cogitatio temporis discriminē, permiscant. Priusquam ad condendam urbem Romulus adgredieretur, cum fratre ipsi, vel de loco, quo vrbis condenda esset, vel de imperio, controuersia intercesserat, & fœdum certamen a mīri principio coortum. Placuit, illud Deorum aibus consultis dirimere; vt dī suis auguriis legerent, qui nomen nouae vrbis daret, qui conditam imperio regeret. Ita **N A S O** rem enarrat: ⁵⁾

*Nil opus est, dixit, certamine Romulus villo,
Magna fides avium est: experiamur aues.*

Tunc Remo augurium, sex *vultures*, venerunt, duodecim Romulo, se ostenderunt. Hinc Romulus regnum numero avium trahebat. Hoc **L I V I S** ⁶⁾ hoc **P L V T A R C H V S** ⁷⁾ hoc **D I O N Y S I V S H A L I C A R N A S S E N S I S** ⁸⁾ tradiderunt. Sed Remo sepulto, interposito quodam intervallo, *augurium condendæ urbis* solus Romulus captauit, *aquilis* oblatis. Hoc a prioribus auspiciis diligenter & **D I O N Y S I V S**, & **P L V T A R C H Y S**, sciunxerunt; vt inter se nihil controuersiae habere videantur. *Aibus* igitur *consultis*, Roma condebatur. Ne mireris, agreste Romuli ingemum, in armis & controuersis exercitatum, ad cultum Deorum, ad religiones, & ceremonias conuersum. **P L V T A R C H V S** eximit tibi hunc scrupulūm ⁹⁾ & docet: ex *etruria auruspices* accitos, qui sacrī quibusdam p̄aeceptis, quid seruandum, procurandumque esset, rudes animos docerent: &, ne luxuriarentur otio, quos metus hostium, & disciplina militaris adhuc continuerat, multitudini imperitiae iniicerent, rem efficacissimam, *metum aliquem Deorum*. Ex aruspicibus Etruscis igitur *condere urbem auspicio* didicērunt. Res in exemplum tracta est, & deinde etiam moribus aliorum frequen-

¹⁾ **S O L I N.** in Polyh. c. 1. ²⁾ **D I O N Y S.** l. I. p. 74 sq. ⁴⁾ **I D.** ib. p. 75.

³⁾ **P L V T.** in vit Romul. p. 22. 23. ⁵⁾ **O V I D.** Fast. IV. v. 813. ⁶⁾ **L I V.**

l. I c. 6. & 7. ⁷⁾ **P L V T.** l. c. p. 23. ⁸⁾ **D I O N Y S.** p. 74. **E N N I V S**

ap. **C I C.** l. de diuinat. p. m. 374. ⁹⁾ **P L V T.** vit. Rom. p. 23.

quentata. **TULLIUS** ^{d)} enint urbes ferme omnes, inuenientem demum *diuinio iure*, & ceremoniis quibusdam definitis, moenibus esse septas, credit; vt intelligamus, apud omnes gentes adhibitos in consilium Deos, priusquam *urbes conderentur*. Romani certe morem priscum diligentissime retinuerunt; etiam cum *colonias* duderent, & ciuibus agrum & domus assignarent. Idem ille **TULLIUS** ^{e)} a **MARCO ANTONIO** se augurem per literas consultum dicit: an Capuam sibi iure liceat coloniam deducere; sed **ANTONIVM** insolentia elatum, omni *auspiciorum iure turbabo*, Casilinum coloniam deduxisse, vt vexillum rolleret, & aratum circumduceret, & solenni ceremonia defungeretur. Ex quibus rebus id potest intelligi: etiam in *coloniis*, dum staret res Romana, *auspiciorum* religiones esse obseruatas; vt quae Deorum curae in primis commendandae essent, illorum etiam imperio, & voluntate, conderentur.

§. IV.

Condi igitur *urbes* dii, dato *augurio*, probabant: sed, vt solent superstitiones, cum semel hominum imbecillitatem occuparunt, animum incitatum nouis terriculis angere, hominesque alias sibi ex aliis solitudines ^{f)} *condebantur*. Etere, non soli Deorum voluntati res permittenda credebatur; sed prouiderunt praeterea, ne, quod illorum bonitas ostenderat, obtuleratque, illud diei ac temporis vitium eriperet, & perturbarer. *Tempus* commodum & opportunum, plenissimum boni omnis, & spei, exspectabant.

Apta dies legitur, qua moenia signet arato, Religiones
tierum, qui-
bus urbes
condebantur.
si NASONEM ^{f)} audiamus. Hoc est, quod **VARRO** docet: ^{g)} die auspicio sulcum aratro circumductum. Illas animis superstitiones astrorum interpretes iniiciebant. **M. MANILIUS** ^{h)} ortum *scorpii* commendat *uribus condendis*:

*Scorpius exrema cum tollit lumina caude,
Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Vrribus dugebis terras: iunctisque iuencis,
Moenia succinctus curvo describet aratro.*

Caret dubitatione, inductam huius sideris religionem, quia Roman fere sub illius ortum conditam, annalibus proditum legebant. **SOLINVS** enim ⁱ⁾ ex **LUCIO TARRVENTIO**, nobilissimo mathematicorum, obseruauit: fundamenta murorum iacta undecimo Kalendas Maias, Ioue in Pisibus, Saturno, Venere, Marre, Mercurio, in *scorpione* constitutis. Unde cognoscitur, vim fatorum & siderum, ex rerum, que quoque tempore sub-

^{d)} circ. de nat. deor. III. c. 40. ^{e)} id. Philipp. II. p. 852. ^{f)} OVID.
Fast. IV. v. 819. ^{g)} VARRO ling. lat. I. IV. c. 32. ^{h)} MANTL.

Astronom. IV. v. 559. ⁱ⁾ SOLINVS Polyh. cap. L



subinde acciderunt, successu æstimari. *Diem*, quo *urbes conditæ*, Romanæ patriæ natalem, γενέθλιον τῆς πατρίδος, teste PLUTARCHO, ^{k)} appellabant: &, si DIONYSIVM HALICARNASSENSE ^{l)} audiamus, singulis annis festum, maiori, quam yllum alium, religione, & ceremonia, colebant. Apud eundem scriptorem inuenio: ^{m)} diei, & sacro, illi nomen, *parilia*, seu *palilia*, suisque ab agricolis, & rusticis pro partu quadrupedum, diis gratias, & vota persoluta. Præterea ambigit DIONYSIVS, utrum hunc diem, iam ante prosperis successibus celebratum, ήμέραν ἐν ἐυπαιδείᾳ ἐπιτηδειστάτην, urbi etiam condendæ accommodatissimum crediderint, ideoque huic negotio, boni omnis caussa, destinauerint; an propter fundamenta, eo die iacta, consecrauerint, & pastorales Deos, quorum tutelae seminarium illud ciuitatis, plebs rudis & agrestis se in primis commendabat, ex illo demum tempore crediderint esse demerendos.

Nec mireris, DIONYSIVM, hominem peregrinum, nihil certi affirmare, aut refellere. PLUTARCHVS ⁿ⁾ prodit etiam ante urbem conditam, eodem die *sacrum pastorale*, indigenis suisse: καὶ πέρι τῆς κτίσεως Βοτηνοκήπτης ἦν αὐτοῖς ἔστη πατὴ τάυτη τὴν ήμέραν, καὶ παλῆλιοι προστηγόενοι αὐτὴν. Sed Romanam testem OVIDIVM NASONEM audiamus: qui propter diei solennia a maioribus accepta, Romulum hoc tempus *consecrationi urbis* destinasse, non obscure affirmauit: ^{o)}

Sacra palis suberant; inde monetur opus.

Sacrum ergo pastorale, tempus quo *urbem* conderent, opportunum Romulus censebat; ut spem animo foecunditatis, & copiae, praeciperet: & bene ominaretur futurae ciuitati. Quidquid illorum fuerit, mihi videtur magis probabile ad fidem, illud sacrum, vel tune demum institutum, vel ex illo certe tempore, aucta eius, quae NASO longo ordine enarrat, solennia; ut memoriam, & ceremonias *urbis*, illo tempore *conditæ*, singulis annis repererent. De qua re erit deinceps locus exponendi. Illud disputatione non indiget: magna Romanos, in die diligendo, quo *urbem* conderent, & in eius memoria consecranda, usus sollicitudine fuisse.

§. V.

Loci, quo urhem conderent, optio. Nec tamen, vel Deorum iussu, atque *auspiciis*, vel *temporis fortuna*, & opportunitate, ita defendi videbantur, ut omnia tuta esse crederent, satisque ad rem futurorum temporum sibi prospectum esse arbitrarentur; nisi in ipso etiam loco inesset quaedam *religio*, & sanctitas, quae aduersus vim, atque iniuriam, muniret urbes institutas, Deorumque opem, &

^{k)} PLUTARCH. vit. Rom. p. 23, f. ^{l)} DIONYS. l. c. p. 75. ^{m)} DIONYS. l. I. p. 75. ⁿ⁾ PLUT. vit. Rom. p. 24. ^{o)} OVID. Fast. IV. v. 820.



tutelam, mereretur: Aduenae interdum *littus maris*, sedem, locumque urbi delegerunt. Credo, si quis conjecturae locus est, quia *littus communis* omnium, & occupatione adquiri, certe ab indigenis facilissime concedi posse, videbatur. VIRGILIUS MARO Iarbam regem Didoni, ut in *littore* habitaret, permisisse tradit: p)

Fæmina, quæ nostris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio posuit: cui littus arandum,
Cuique loci leges, dedimus.

Ipse etiam Aeneas q) in Thracia

Littore curvo

Moenia prima locat, fatis ingressus iniquis.

Alba longa ad littoreas ilices instituta est, si poetam r) audiamus. Sed haec errantium fortuna, qua, cum alia non possent, illos uti bonitas hospitum, & necessitas, iubebat. Quibus liberior eligendi, quem velint, locum potestas erat, plerumque in *collibus* aedificabant: Arcades in primis, quos SOLINVS s) in excelsissimis montium partibus plerumque habitasse, auctor est, & exinde rutissimas urbium, arces appellatas. Quod tamen nomen SALMASIVS t) non ab Arcadibus, nec ab arcendis hostibus; sed a Graeco ἔγνοι, qua appellatione locus tutus, & munitus, videatur contineri, descendisse arbitratur. Sed apposite DEMPSTERVS u) ex PIER. VALERIAN. HIEROGLYPH. l. 42. obseruat, tum, ut hostibus esset difficilis accessus, tum, ut tutiores essent, ab aquarum illuuiie, quia, ex philosophi præceptis, omnes aliquod diluvium timebant, x) plerosque in summis montibus moenia locasse. Ab Arcadibus, & populis vicinis, Romulus didicit, in montibus aedicare; primumque Palatinum muniuit, in quo ipse erat educatus. y) Remus Auentinum maluit, sed utriusque tamen colles urbi condendae destinarunt. z) Neque vero illud ab omnibus obseruatum est; sed, ut cuiusque res, & occasio ferebat. Id magis omnes operam derunt; ut haec loca, has sedes, diligenter, in quibus, ex interpretatione vatum, futurae quandam felicitatis expressam imaginem viderent. Pater Tiberinus a) albam longam illo in loco, quo spem albam triginta fœtus enixa, solo recubantem, deprehensurus esset Ascanius, condendam esse, præcipiebat:

Littoreis ingens inuenta sub ificibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, iacebit
Alba solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis sit, requies ea certa laborum.

quia

p) VIRG. Aen. IV. v. 211. q) id. Aen. III. v. 17. r) id. Aen. VIII. v. 45.

s) SOLIN. Polyh. c. I. p. 1. t) SALMAS. ad SOLIN. Polyh. p. 7. B.

u) DEMPST. ad Rosin. l. I. c. 2. p. 8. edit. Amstel. x) CIC. de diu. I. p. m. 374.

y) LIV. l. I. c. 7. z) DION. Hal. l. p. 73. a) VIRG. Aen. VIII. v. 45.

Fasc. III. F



quia & quietis, & fecunditatis, quoddam in prodigio illo inesse simulacrum videbatur. Ipsum Iouis templum in monte Tarpeo TARQVINIVS SUPERBVS, quod pater eius voverat, perficere tergiuersatus est, cum *caput humanum* integra facie, aperientibus fundamenta templi appareret: ^{b)} donec ita interpretatione acceptum est prodigium, ac si visa hæc species, haud per ambages, *magnitudinem imperii*, & arem eam *caput rerum* fore, portenderet. Tunc vero, auctis ad impensas animis, plenissimus bonorum ominum, atque exspectationis, rem intermissam, maioribus studiis tractauit. Imo vero, quod dicendum erat primo loco, ipsam *eternam urbem* in illo, in quo educatus erat, ^{c)} in quo ad illud robur, illosque animos, succreuerat, *monte palatino*, Romulus condere voluit: quod eundem urbi, qui sibi aliquando, locum, urbi credebat ad alendam potentiam, & vires profuturum: eaque de re cum fratre controversias capitales exercuit, ediditque facinus, quod ipsa incunabula regni sanguine humano polluebat. Quid, quod montem *Auentinum*, quæ pars Romanæ ditionis, nec infrequens, nec longinqua erat, extra pomoerium Romanum reliquerunt: neque SERVIVS TULLIVS rex, neque SVLLA, qui proferendi pomoerii ius quaesivit, neque postea D. IVLIVS, quum pomoerium proferret, intra effatos *urbis fines* incluserunt? Cuius rei messala aliquot videri cauñas scribit: sed præter eas omnes vnam probat, quod in eo monte Remus urbis condendre gratia augurium captauerit, auesque irritas habuerit, in augurio a fratre Remo superatus: idcirco, inquit, omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi aubus orscoenis ominosum. ^{d)} Hac cautione, in *urbis eternæ* ambitu definiendo, vbi sunt Romani; sed non minori solicitudine in *coloniis* etiam subinde deducendis. Carthagine, imperii æmula, cum qua magis inuidia imperii, quam vlliū eius temporis noxiæ, certatum est, funditus sublata, cuius metu remoto, non gradu, sed præcipiti cursu, a virtute descitum est; prima extra Italiam, CARTHAGO in Africa colonia condebatur. ^{e)} Sed multi patrum repugnabant, cum periculosum videretur, illo loco *urbem* institui, ex quo tam grauam populo Romano pestem enatam meminissent.

§. VI.

Lustratio ciuium, & feli. Iam vero omnia salua videbantur. Missis aubus deorum numen annuebat. Diei commoditas, & sanctitas, spem iniiciebat, successus prosperos futuros. Loci opportunitas, & religio, felicitatem portendebat. Nunc, vt ad ipsum opus aggredentur, tempus, & occasio suadebat. Sed, vt in rebus arduis meticuloſi sumus, cauendum crediderunt, ne quo piaculo contaminati, ne qua macula adspersi, rem diuinam perpetrarent: ne quam labem ipſis mœnibus,

quæ

^{b)} LIV. I. I. c. 55. TION. Halic. I. IV. p. 257. & 258.^{a)} GELL. noct. Att. XIII. c. 14.^{c)} LIV. I. I. c. 7.^{d)} VELLEI. paterc. I. I. c. 12. & 15. §. 4.

quæ instructuri erant, inferrent, deorumque voluntatem auerterent, quorum tutelæ hæc loca in primis esse commendata cupiebant. Hinc corpora ciuium aqua & igni lustrata sunt. Illum morem primus Romulus inuenit: qui deinde singulis annis, die Romæ natali, in *sacro pastorali*, quod eo die agebatur, & quod *palilia* vocabant, repetitus est. Ex quo intelligitur, huius sacri solennia, vel illo demum tempore instituta, vel hanc ceremoniam, qua in urbe condenda usus erat, aliis solennibus illius sacri adiectam esse. Luculenter *Nasoni* rem enarrat: f)

— — — Viuo perlue rore manus:
Monque per ardentes stipulae crepitantis laceruos
Trauicias celeri frenua membra pede.

Abluendum igitur corpus, deinde per *accensas stipulas transfilendum*. Origo moris dubia videtur. Ipse *Nasoni* hæret in lubrico, incertus, quo se sit consilio expediturus. *Ignis* excoquere incretam labem putabatur. Aliis aqua, & igne omnia corpora constare, & in illarum rerum societatem ciues conuenire, illarum fruendarum causa, *urbes* instituere, & in eodem omnes loco considerare, videbantur. Quapropter, quos ex *ciuitate exsules* eiciebant, illis aqua, & igni, interdictum. Pauci Aeneæ pietatem, qui per ignes patrem humeris subnixus extulerat, illa imagine referri crediderunt. Quæ perplexa interpretatione videtur. *Nasoni* placuit originem ab agrestibus illorum, qui tum operi manus adhibebant, moribus repetere. Illos nimis casas, & tentoria, in quibus, antequam urbs conderetur, aduenæ morati erant, cum nouæ sedes molituri essent, incendisse, & per illos ignes ad locum urbis accessisse: g) hinc morem ad posteros transmissum.

Hoc tamen est vero propius: cum condita Roma
Transferri iussos in noua Regna lares:
Murantesque domum, tectis agrestibus ignem,
Et cessatur a supposuisse casæ:
Per flamas satuisse pecus, satuisse colonos:
Quod fit natali, nunc quoque, Roma, tuo.

Ausim affirmare, cædem fratris Remi, qua se polluerat, Romulum lustratione illa expiandam censuisse. Videtur enim probabile ad fidem, reum non urbe demum condita, quia menia transfilierit; sed antea, cum de regno inter fratres esset altercatio, occisum b) in turba. Explicate illud *DIONYSIUS HALICARNASSENSIS* docet: Placatis propter cædem Remi Diis Romulum urbem condidisse, τὸς θεὸς ἀρεστάμενος: adiicit etiam: *pyris* ante tentoria *accensis*, eductum populum, & *piaculi causa*, per flamas transfilire iussum: πυρηναῖς πρὸ τῶν σκηνῶν γενέθαι, κελεύσας, ἐξῆγε τὸν λεών, τὰς φλόγας ὑπερθέωσκοντα, τῆς ὅσιστεως τῶν μισθωτῶν ἔγενα. k)

F 2

Fu-

f) *OVID. fast. IV. v. 778* sqq. g) *Id. fast. IV. v. 801* sqq. h) *LIV. I. 7.*
DION. Halic. l. 74. i) *DION. Hal. p. 74.* k) *Id. 75.*



Funesta enim familia non videbatur rite rem diuinam posse perpetrare. Eadem superstitione etiam in *templis dedicandis* vtebantur. **HORATIO FVLVILLO**, cui omnes dedicationem Capitolinae ædis intidebant, postem iam tenenti, fecus ab amicis Valerii, inter precationem deorum, nuncius incusus: *mortuum eius filium esse: funestaque familia dedicare eum templum non posse:*¹⁾ & antistes fani Diana, hospitem Sabinum, bouem ingentis magnitudinis immolaturum, ita allocutus est: quidnam tu hospes paras, inceste, sacrificium Diana facere? Quin tu ante *vivo perfunderis flumine.* Infima valle præfluit Tiberis.²⁾ Ita supersticio in gentes inuecta, & per posteros diffusa.

Expiatis corporibus, nihil obstabat, quo minus rem diuinam procura-
rent: & aratro sulcum circumducerent. Nisi forte etiam *solum* antea *religione*
fuit *imbuendum, lustrandumque*, priusquam aratro diuno tangereatur. De
illa re nihil inuenio a veteribus perscriptum. Sed illud me mouet, quod **TACITVS**³⁾ de *temporum dedicatione* enarravit. Spatum omne, quod tem-
plo dicaretur, evinctum vittis, coronisque. Ingressos milites, quibus fausta
nomina, *ramis felicibus*, dein virgines vestales, cum pueris, puellisque, pa-
trimis, matrimisque, aqua e riuis, & fontibus, amnibusque hausta, perluisse.
Ita *templa lustrabantur*. Sed videor eandem ceremoniam, in *sacro pastorali*, quod *urbis condendæ ritum* continebat, obseruasse. **NASONEM** audia-
mus:⁴⁾

Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustra.

Vnda prius spargat, virgaque verrat humum.
Frondibus, & fixis decorentur ouilia ramis;
Et regat ornata longa corona fores.

Vides locum coronatum, *vnda* etiam, & *ramis felicibus*, lustratum, in *sacro, & natali Romæ die*, eadem ceremonia, quam **TACITVS** desiderauerat in *tempis*; vt crederes templum esse dedicandum. Ausim affirmare, hunc ritum *sacro pastorali adiectum, & die natali Romæ repetitum*, quod, cum *urbs condetur*, *solum* antea, vt in *tempis area, ramis & aqua lustratum* fuerit, prius quam illi sulcus aratro est impressus. Sed hæc vtcunque æstimata fuerint, in paruo discrimine ponemus.

§. VII.

Fossa, pun- *Rebus diuinis perpetratis, ad condendam urbem accedebant. Prima eu-
dum urbis, ra, vt punctum constituant, quod possit mœnibus, & sulco aratri circumscribi.*
civiumque *Hoc videbatur vim ciuitatis, & præcipuum momentum, continere **PLVTAR-***
communio. *CHVS*⁵⁾ ait: Romæ comitio *fossam rotundam* esse circumductam. In eam
primitias rerum omnium, quarum in ciuitate *usus est*, quæque necessitati, &
com-

¹⁾ *LIV. II. c. 8.* ²⁾ *Id. I. 45.* ³⁾ *TACIT. hist. I. IV. c. 53.* ⁴⁾ *OVID.*
fast. IV. v. 735. ⁵⁾ *PLVT.* in *vit. Rom.* p. 23.

commoditati, vitæ humanæ inserviunt, coniectas: postremo etiam eius *terræ*, ex qua quisque aduenerat, a quoquo colonorum, portiunculam in fundum fossæ collatam, illasque glebas inter se permisstas. *Fossam*, eodem, quo cæsum, nomine, etiam mundum a Romanis appellari. *Hanc* deinde *fossam* urbe, *velut circulo punctum, circumscriptam*. *Fossam* igitur, puncti instar, obseruarunt, ex quo vrbis ambitum fulco metirentur. *PLVTARCHVS*, fossam rotundam ait circumductam. Sed *FESTVS*, quadratam commemorat: forte, quia fossa ipsa quidem rotunda, deinde saxo munita est, *in speciem quadratam*. *PAVLVM* audiamus, qui *FESTI* reliquias seruanit: ^{q)} „qua, „drata Roma, inquit, in palatio ante templum Apollinis dicitur, vbi reposita sunt, quæ solent boni omnis gratia in urbe condenda adhiberi: quia *saxo munitus est locus initio, in speciem quadratam.* „Eius loci *ENNIVS* meminit, cum ait:

Atque quis extiterat, Romæ regnare quadratae &c.

Fossa igitur *rotunda* vñi sunt, munita vero *in speciem quadratam*.^{r)} Sed audis, in illa reposita fuisse, quæ solent boni omnis gratia, in urbe condenda adhiberi. Quæ qualia sint, *PLVTARCHVS* in loco supra adducto indicavit. Primitias, ἀπαρχὰς τῶν πάντων, ὅποις νέρων, ὡς καλοῖς, ἐχρῆντο, φύσει δέ, ὡς αἰρεγματοῖς, quibus, ex lege tanquam pulchris, natura, tanquam necessariis, vtebantur, in *fossam* contulerunt. Credo *frugum*, pomorum omnium & quorum alias homines indigent, decerptorum, quasdam species & particulas, eo coniectas, vt deos immortales preparentur, ne qua illarum omnium vñquam penuria laborent: vtque ostenderent, hæc a diis immortalibus profecta, in ipsorum esse potestate, ab ipsorum bonitate etiam in posterum plura exspectari. Crèderem etiam *instrumenta*, quibus comode carere non possumus, collata in *fossam*; nisi agreste aduenarum, qui Romam condiderunt, ingenium obstareret. Hoc enim vix permisit, vt de aliis rebus, ac de *frugibus*, & *terræ prouentibus*, in quibus studium, & operam omnem collocabant, in quibus spem, & fiduciam habebant, cogitarent. Quæ de *frugibus* dicta sunt, etiam *OVIDIVS* confirmat: ^{s)}

Fossa fit ad solitum; truges iacuntur in ima.

Sed ibi *PLVTARCHVS* non subsistit. Glebas etiam quisque colonorum *ex sua regione*, vnde aduenerat, allatas, conferebat in *fossam*; vt omnes inter se permitcentur, εξ ής ἀριθμῷ γῆς οὐασος ἀλιγηνοὶ κομιζανοὶ μοιζανοὶ, εἴβαλον εἰς ταῦτα, καὶ συνεργεύοντο. *NASO* contra absconde: ^{t)}

Et de vicino terra petita solo.

F 3

Cre-

^{q)} *FEST. in voc. quadrata.* ^{r)} *OVID. fast. IV. v. 821.* ^{s)} *OVID. ibid.*
v. 822.



Credo tamen, nihil inter se, PLVTARCHVM, & NASONEM, controuersiae habere: cum poeta de indigenis citibus, PLVTARCHVS de aduenis, & colonis, verba fecisse videantur. Aut igitur ex sua quisque regione, glebam afferebant; aut, si res illud non permitteret, de vicino petitam in fundum fossæ conferebant, illasque inter se miscebant. Disputatione vix indiget, quas singuli attulerant, glebas inter se permistas; vt, in unum ciues corpus coalescere, indicaretur, ipsique ciues de voluntate mutua, & concordia, de coniunctione animorum, vinculo societatis vniuersæ, per ambages monerentur. Aut omnia me fallunt, aut ex illa glebarum coniunctione, & unitate corporis civilis, in quod eiusdem coloniæ ciues coalescere, visi, & de quo illa imagine admoniti fuerunt, etiam descendit, quod recusare patriam, nec ciuibus, nec illorum liberis, permitterent civilia præcepta. VLPIANVS certe L. 6. D. ad municip. „Neque recusando, ait, patriam, ex qua quis oriundus est, neque mentiendo de ea, quam non habet, mutabit veritatem. „ ARCADIVS & HONORIVS AA. l. vn. C. Si curial. qui ciuitates suas fugiant, rus habitandi caussa, illos, ait, impios se patriam vitando, demonstrare. Idem fere DIOCLET. & MAXIM. atque etiam CONSTANT. l. 4. & 5. C. de municip. constituerunt. TRYPHONINVS l. 12. ss. 9. POMPONIVS l. 5. ss. 3. & l. 20. pr. D. de captiu. solis duntaxat captiuis, deinde ex seruitute manumisss, de sua quoque ciuitate constituendi facultatem liberam fecerunt. OVIDIUS¹⁾ illud etiam in aliis gentibus obseruat:

— — — — — prolibent discedere leges
Poenaque mors posita est, patriam mutare volenti.

Neque enim, si ex natura rem æstimes, errant, mea sententia, qui in ciuitate instituenda, priusquam in unum corpus concrescat, pactum, si non expressum, tamen tacitum, quod ex ipso consilio, quo ciues conueniunt, colligitur, de societate colenda, ad tempus aliquod, donec ex prole ciues subnascantur, aut aduenæ illam augeant, desiderarunt. ²⁾ Hoc compages illa vinculo tenetur, quo soluto, totum ciuitatis corpus difflit, & dilabitur. Sed e diuerticulo in urbem redeamus. Fossa igitur communionem ciuium, societatem perpetuam, & consensionem, indicabat. Quæ, vt quodam vinculo, atque etiam diuino iure, quodammodo contineatur; fossa denique replenda est, & aris impositis, odoribus incensis, consecranda, si Nasoni³⁾ fidem habeamus:

Fossa repletior humo; plenæque imponitur ara:
Et nouus accensio finditur igne focus.

Hoc ritu se, & suas necessitates, diuina, & humana omnia, deorum tutelæ commendabant, bonam copiam, pacem, & si quid his rebus omaino maius conci-

²⁾ OVID. metam. I. XV. v. 28. 29. ³⁾ HVBERVS l. I. scit. 2. c. 3. §. 17. 18. 19. Hert. p. I. s. 3. §. 7. Boehm. J. P. vniu. l. I. c. 2. §. 3. &. 17. ⁴⁾ OVID. fast. IV. v. 823.



cipere potest mens humana, exorabant. Ne existimare possis, propriam Romanorum fuisse illam superstitionem; **OVIDIUS** alio loco ²⁾ docet: *fossam, ad solitum, id est, more maiorum, & gentium, fieri, illiusque religionis contagio etiam alios, etiam colonias, attingi. Habes punctum urbis, & primum laborem colonorum.*

§. VIII.

Ex illo punto conditor urbem circulo descripsit, si PLUTARCHVM Sulcus, quo audiamus; sed circulus aratro exprimendus. Ita CATO præcipit apud ISI-
moenia vr-
„DORVM ^{a)} „qui urbem, inquit, nouam condit, taurō & vacca aret; vbi ^{bis a magi-}
„arauerit, murum faciat. „ Hoc ritu, ait OVIDIUS ^{b)} Romulum mœnia stratu defi-
gnata.
urbis designasse:

Ipsa premens stiuvam, designat mœnia sulco.

Ita etiam DIONYSIVS ^{c)} & PLUTARCHVS ^{d)} rem enarrant. MANI-
LIVS easdem ceremonias docet urbem condituros: ^{e)}

*iunctisque iuuencis
Mœnia succinctus curuo describet aratro.*

LVCANVS etiam illum morem tradit a posteris seruatum. ^{f)} Cæsis enim ho-
stibus, urbibus euersis, colonias deduci cupit, optatque, ut res optime suc-
cedat:

Sarmaticumque premat succinctus consul aratum.

VARRO ^{g)} enim, eodem ritu etiam colonis ait locum assignatum, „iunctis bu-
„bus, aratro circumagebant sulcum. Quare, & oppida, quæ prius erant
„aratro circumducta, ab orbe, & urbo, urbes, & ideo coloniæ nostræ omnes
„in litteris antiquis scribuntur urbes, quod item conditæ, vt Roma. „ *Vrbes*
enim ab urbo appellatas etiam POMPONIVS l. 239. ^{f.} 6. de V. S. affirmit:
& urbare, est, aratro definire. *Varus* ait, urbum appellari curuaturam ar-
atri, quod in urbe condenda adhiberi solet. Id etiam TULLIVS ^{h)} indicat,
dum M. Antonii insolentiam accusat, „Casilinum deducentis coloniam, „quo
„erat paucis annis antea deducta: hoc solo consilio, vt vexillum tolleret, vt
„aratum circumduceret; cuius vomere portam caput propemodum perstrin-
„xit. „ Sed VIRGILIVS ⁱ⁾ anticipatis forte, vt mos fert eius, postero-
rum moribus, & ad maiores relatis, etiam Aeneam, longe ante, eadem usum
ceremonia affirmat:

Intraea Aeneas urbam designat aratro.

181-

- | | | |
|--|--|--|
| ^{j)} Id. l. c. v. 821. | ^{z)} PLUT. vit. Rom. I. p. m. 23. | ^{a)} ISID. orig. XV. |
| ^{c. 2.} p. 1191. | ^{b)} OVID. fast. IV. v. 825. | ^{c)} DIONYS. I. p. 75. |
| ^{d)} PLUT. vit. Rom. t. I. p. 23. | ^{e)} MANIL. astron. I. IV. 562. | ^{f)} L V-
GAN. pharsal. VII. v. 430. |
| ^{g)} VARRO ling. lat. IV. c. 32. | ^{h)} CIC. Philipp. II. p. m. 852. | ⁱ⁾ VIRGIL. Aen. V. v. 755. |



ISIDORVS credit, ^{k)} boni omnis causa illud institutum: ut, ad imaginem serentis, aratrum ducerent, urbemque constituerent, quae non hominis aetatem, sed multorum ordinem seculorum duratura, cresceret ciuiibus, & tanta augeretur multitudine, quae quasi ex terra esse subnata videretur. Aratro igitur urbes designantur. Sed sulcus circumducendus est aratro. „Sulcus enim, ait FESTVS, appellatur, qua aratrum dicitur, vel sationis facienda, caufa, vel urbis etiam condendæ.”^{l)} SILIVS ITALICVS Capyn regem commemorat: ^{m)}

— — — cum moenia fulco

Signaret.

vt moris antiquitas intelligatur. Romulus certe sulcum duxit, qua urbem esset conditus. PLVTARCHVS ⁿ⁾ αὐλανα βαθεῖαν, sulcum profundum, DIONYSIVS ^{o)} αὐλακα δημερῆ, sulcum perpetuum, id est continentem, qua moenia aedificata sunt, ductum esse, tradunt. NASO etiam, loco a nobis superius adducto, ipsum Romulum moenia fulco designasse affirmabat. Sed, ne quis vel Græcis hominibus, vel poëtæ, fidem deneget, TACITVS ^{p)} locum in foro boario indicat, a quo sulcus designandi opidi cœptus est. FESTVS ^{q)} sulcum primigenium appellat, qui in condenda vrbe tauro, & vacca, designationis causa, inprimatur: quod etiam RAEVARDVS ^{r)} obseruavit. Sulcum veteres etiam fossam, sed ab illa, quæ boni omnis causa facta est, distinctam subinde appellant, si VARRONI fidem habeamus; ^{s)} „circumagebant enim sulcum, vt fossa & muro essent opida munita. Terram, unde exscalperant, fossam vocabant, & introsum factum murum &c.” Ergo una molitione duas necessitates procurarunt: alterum, vt vrbs fossa inuniretur: alteram, vt locum, quo moenia excitanda essent, designarent. Hoc enim etiam ex MARONE ^{t)} discimus:

— — ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum. — — —

Sulcus igitur aratro inprimendus; sed cui, teste PLVTARCHO, vomer æneus præfigeretur, ^{u)} propter gravitatem negotii, & dignitatem illius, qui aratrum manibus regebat. Stiuam enim aratri, vel rex, vel magistratus, manibus tenebant, qui subinde fortiti sunt: vter coloniam dederet. Ita & domi interdum consules sortiri, cui danda esset dedicatio templorum ^{v)} rexit certe Romulus aratum, ^{y)}

Ipse premens stiuam designat moenia fulco.

Et

- ^{k)} ISID. orig. XV. c. 2. p. 1191. ^{l)} FEST. voc. sulcus p. m. 280. ^{m)} SILL. ital. Ptin. I. XIII. v. 117. ⁿ⁾ PLVT. vit. Rom. p. 23. t. I. ^{o)} DIONYS. L. p. 75. ^{p)} TAC. annal. I. XII. c. 24. ^{q)} FEST. voc. primigenius p. 177. ^{r)} RAEVARDVS coniect. II. 7. ^{s)} VAR. ling. lat. IV. c. 32. ^{t)} VIRG. Aen. VII. v. 157. ^{u)} PLVT. vit. Rom. p. 23. t. I. ^{x)} LIV. II. c. 8. ^{y)} OVID. fast. IV. v. 825.



Et longe antea Aeneas ²⁾

ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum.

Indignum tamen videbatur, aratum manibus fæminæ tractari; sed SERVIVS obseruat, illud permisam esse architectis, si fæmina colonis imperaret. Cum enim Carthago conderetur apud VIRGILIVM ^{a)}

Instant ardentes Tyrii,

non Dido, quæ suorum opus tantum oculis usurpat. Sed magistratus in republica libera, qui colonias ducebant, arato sulcum suis manibus duxisse, etiam M. Antonius comprobat, a CICERONE reprehensus: ^{b)} quod coloniam duxerit, ut vexillum tolleret, ut aratum circumduceret. Neque enim pudebat veteres operis rustici: cuius tanta, propter soli fecunditatem, apud Italos commoditas; ut eius rei tractationem, etiam inter decora, & voluptates, numerarent. Magistratus igitur superiores manum arato admouebant; sed succinetti, quod supra LVCANVS ^{c)} affirmabat:

Sarmaticumque premer succinctus consul aratum.

Et præcipiebat etiam alio loco MANILIVS: ^{d)}

rituque Gabini
Moenia succinctus curvo describet arato.

Ritu igitur Gabino consul incedebat, quem VIRGILIVS ^{e)} etiam cinctum gabiniū, consulibus solennem appellavit. „SABINVM cinctum, SERVIVS dicit, togam sic in tergum reiectam, ut vna eius lacinia reuocata hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere veteres latini, quum nec dam arma habuerent, præcinctis togis, bellabant: hoc vtebatur consul bella indicturus, ideo, quod cum Gabii, Campaniae ciuitas sacrī operaretur, bellum subito euenit. Tunc ciues cincti togis suis, ab aris sunt ad bella profecti, & adepti victoriā. Hacdenus SERVIVS. Commodissima interpretatio videtur, hoc cultu usum in illa ceremonia consulem, quia is habitus & militantibus conueniebat, & illis, qui sacra faciebant. ^{f)} Merebatur enim hic labor consulis inter sacra numerari. Videtur hoc DEMPSTERVS, ^{g)} sed subobscure, indicasse. Consul igitur, composito ad maiestatem corpore, & vultu, sacrificantium cultum imitatus, ut diis se operari indicaret, nomine reipublicæ aratum vrbi condendæ adhibebat. Et videtur illud esse conueniens naturæ, & habere rationem: vrbi initia a summa potestate proficisci: sine cuius venia, & iussu

in-

2) VIRG. EN. VII. V. 157. a) Id. EN. I. V. 427. b) CIC. Philipp. II. P. 852.

c) LUCAN. VII. V. 430. d) MANIL. astron. IV. V. 562.

e) VIRG. EN. VII. V. 612. f) LIV. I. 18. g) DEMPST. ad Rosin.

I. I. c. 3. p. 10. edit. Amt.



instituta collegia, & publicæ sodalitates, latronum societatem referunt, atque a conspiratione improborum, qui ad furtæ & rapinas inter se implicati, & connexi sunt, vix seiunguntur. Ergo a *consule* sulcus ducebatur. Nec tamen *consul* ceremoniam publicam, tanti primordia operis, *solus* peragebat. *Longus colonorum, & clientum, ordo sequebatur*, quorum officium erat, ut *glebas*, ab aratro excitatas, *introverterent*, nec villam excidere extra sulcum paterentur. Hoc a PLV T ARCHO b) proditum memoriae accepi. Forte, ne qua terrae particula, tacta aratro, & religione imbuta, sine cultu relinquatur, aut proiecta conculeetur; sed ut seruetur in memoriam posteritatis, atque ab vsu profano separaretur.

Hoc ritu *fulcus* circumductus. Sed *formam* videamus. Censeo *formam circuli* expressam. PLVTARCHVS enim a fossa interiori, tanquam puncto ait *circulum* descriptum. Idem etiam SILVVS ITALICVS testatur; i)

— — (quaque obliquo curuantur in orbem
Mænia flexa sinu.

Nescio annon eo etiam illud VIRGILII k) pertineat:

Menia prima loco — — — — — *& littere curuo*

Præterea, & VARRO ¹⁾ atque ISIDORVS ^{m)} a circulo urbes, quasi orbis, appellarunt. Neque esset locus dubitationi; nisi & PLVTARCHVS ⁿ⁾ forma quadrata, a Romulo Romanam conditam, & DIONYSIUS, quadrangulari forma, affirmarent. Περιγράφει τετράχων χῆμα τῷ λόφῳ. Sed res facile expedietur, si Romanam quadratam, a Roma vrbe distinxeris, & repetieris, quæ ex FESTO supra sunt adducta. Roma quadrata, quæ fossam; boni ominis caussa factam, continebat, ipsa etiam rotunda fuit; sed munita saxo ad formam propemodum quadratam. ^{o)} Hinc forma quadrata appellata est. Vrbem vero ipsam in modum circuli conditam etiam PLVTARCHVS ^{p)} indicavit; & FESTVS ^{q)} præterea vrbes condi forma simili, uncinia curvatione buris, docet: quæ forma si ex utraque parte coniungatur, circulum fere efficiet, porta in medio aperta.

§. IX.

*Boues, qui-
bus aratum
ducitur.* Sulcus igitur factam egregiam sementem, ex qua spem multorum se-
culorum enasci cupiebant, indicabat. Orbis, cuius formam aratro expri-
mebant, æternitatem vrbi portendebat. Sed, vt auguretur ciuitas spe-
opum,

b) PLVT. vit Rom. p. 23. i) SIL. Ital. l. XIII. v. 139. k) VIRG.
Aen. III. v. 17. l) VARRO de L. l. IV. c. 32. m) ISID. Orig. XV. 2.
p. 1191. n) PLVT. l. c. p. 22. o) FESTVS VOC. quadrata.
p) PLVTATCHI, vit. Rom. p. 23. q) FESTVS voce vruat.



ōpum, labore quaerendarum, & spe copiae, ac fœcunditatis: *boues*, quorum opera & labore haec omnia propemodum, quae ad necessitates nostras pertinent, inuenimus, boues *disparis sexus*, taurum, & vaccam interiorem iungebant ad aratrum. Hac coniunctione *ISIDORVS* ^{r)} immortalitatem gentis contineri tradit. Rem omnem *VARRO* ^{s)} *FESTVS* ^{t)} *DIONYSIVS* ^{u)} *PLVTARCHVS* ^{v)} enarrarunt, V. C. *Johann Gottl. HEINECCIVS*, & alii plerique ^{w)} hac ex caussa in coloniarum nummis plerumque *boues iunctos* exhibent docent: ut nolim in re nota operam perdere; sed illud monendum est: nummos urbis non semper *boues iunctos* hoc cōfilio præferre, ut *ceremonia colonie deductæ* exprimatur. Athenienses *bouis* simulacro in vulgatissima moneta usi sunt. ^{x)} Interdum *boues*, maxime *pascentes*, ^{a)} aut quibus *Ceres* insidebat, ^{b)} fertilitatis argumentum & gloriationem continebant: *coronati* partam pacem & quietem restitutam, ^{c)} sed Romae tamen *tauri* aeneum simulacrum in foro boario *TACITVS* ^{d)} obseruat: & quia id genus animalium aratro subditur, ab illo loco, quo *bos* constitutus est, fulcum designandi opidi coeptum arbitratur, ut magnam aram Herculis completeretur.

Boues igitur ad aratrum iuncti sunt: sed iungendi boues in loco urbis designando ceremoniam, & religionem, *VARRO* ex *Etruria* allatam ^{e)} *VIRGILIVS* ^{f)} etiam cum *Carthago* conderetur, a pœnis obseruatam docet:

Cui littus arandum
Atque loci leges deditus.

DIONYSIVS ^{g)} & *PLVTARCHVS* ^{h)} a Romulo inuestum morem tradunt, atque ad posteros transmissum. Sed videtur inter utrosque conuenire. Romulus ab Etruscis aruspicibus, quos acciuerat, didicit primus superstitionem subinde. Illud exemplum posteri imitati sunt in coloniis deducendis: hinc recte dicitur religionis usus & ab Etruscis, & a Romulo rege, descendisse.

§. X.

Locus sulco circumducto definitus iam *cingi moenibus* posse videbatur, *Menia.* quae futura sperabant Deorum in *tutela*, nisi aliquid portenti rem institu-

G. 2 tam

- ^{r)} d. Orig. I. XV. c. 2. p. 1191. ^{s)} d. Ling. Lat. IV. 32. ^{t)} *FESTVS* voc. Primigenius. ^{u)} *DIONYS.* lib. I. p. 75. ^{v)} *PLVT.* quæst. Rom. p. 271. & vit. Rom. 23. ^{w)} *HEINECC.* antiqu. iur. II. tit. I. §. 6. ^{x)} *SPANHEM.* d. us. & præstant. numism. T. I. diff. IIII. p. 168. ^{a)} i.d. ibid. ^{b)} *SPANH.* I. c. diff. 9. p. 651. ^{c)} *SPANH.* I. c. diff. IIII. p. 172. ^{d)} *TAC.* Annal. XII. 24. ^{e)} *VARRO* L. Lat. IV. c. 32. ^{f)} *VIRG.* Aeneid. IV. v. 212. ^{g)} *DIONYS.* I. p. 25. ^{h)} *PLVT.* quæst. Rom. T. II. p. 211.



eam perturbasset. Si lupi fines inuaserint, aut tetigerint sulcum, & translierint; opus coeptum intermittendum censebatur. APPIANVS ⁱ⁾ tradit, cum Gracchus Carthaginem coloniam primam extra Italiam, multis inuitis, deduxisset, fines luporum interuentur perterritos; & hinc legem de illa colonia fuisse abrogatam. Si omnia recte euenerant,

*Augurio leti iaciunt fundamina ciues
Et nouu exiguo tempore murus erat. k)*

VARRO ^{l)} moenia, quod muniendi caussa manu parabantur, & ab illo munere, murum appellari tradit; perplexa caussa appellationis. ISIDORVS ^{m)} etiam moenium, quasi manu factum, vel a muniendo, dici arbitratur: & murum, praeterea obsernat turribus, & propugnaculis ornari, & contra imperium hostium defendi. Interdum moenium appellationem ait, ad omnia etiam publica vrbis aedificia referri.

§. XI.

POMERIUM ^{definitum, &} FESTVS ⁿ⁾ etiam profimurium dicit. PLUTARCHVS ^{o)} narrat oxygynum, quasi post vel pone moenia appellat. Ius pomoeirii ab auguribus profectum. Illud TULLIVS ^{p)} affiat: quid enim, inquit, scire aruspices aut de tabernaculo recte capto, aur de pomoeirii iure potuerunt? GELLIUS ^{q)} ex libris illorum, qui de auspiciis scriperunt, pomoerium, ait, esse locum, intra agrum effatum per totius vrbis circuitum, pone muros certis regionibus determinatum. Effatum agrum VARRO interpretatus est ^{r)} quod augures fines auspiciorum caelestium extra urbem agris sunt effati: & SERVITVS ait: effata ^{s)} sunt angurum preces. Vnde ager post pomoeiria, vbi auguria solebant captari, effatus dicebatur. „Sed audiamus PAVLUS, LVM ^{t)} qui scrinia FESTI compilauit: profimurium, inquit, Pontifice: pomoerium, vbi pontifices auspicebantur. Dictum autem pomoeirium, quasi postmuri, id est: muro proximum: atque ANTISTITIVS in iuris Pontificalis commentario: pomoerium esse muro proximum.„ Quae ut intelligantur, de auguribus breuiter dicendum. Augures nimurum Deos habere in potestate videbantur: quae signa, quibus regionibus, mitti vellent, animo fingebant, & diis, quos habebant, immortalibus significabant: dii, quasi augurum praeceptis & imperiis acti, etiam parebant, & voluntatem suam, missis iisdem aibus, iisdem in regionibus, quibus augures

ⁱ⁾ APPIANVS B. C. I. II. p. 250. ^{k)} OVID. Fastor. IV. v. 835. ^{l)} VARRO L. I. IV. c. 32. ^{m)} Origin. XV. c. 2. ⁿ⁾ FESTVS voce profimurium. p. 185. ^{o)} PLUT. vit. Rom. p. 23. ^{p)} CIC. d. d'uinat. II. p. 305. ^{q)} noct. Att. XIII. 14. ^{r)} VARRO. L. L. I. c. ^{s)} ad Aeneid. 7. v. 197. ^{t)} FESTVS l. c.

gures mitti voluerant, subinde declarabant. Rem luculenter LIVVS enarrat: ^{a)} „augur capite velato sedem cepit: dextra manu baculum sine „nodo aduncum tenens, quem lituum appellant. Inde, ubi prospectu in „urbem, agrumque, capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinauit; dextras ad meridiem partes, leuasque ad Septentrionem esse, dixit. Signum contra, quoad conspectum longissime oculi ferebant, animo finuit. Tum precatus louem; ut signa eius cerra ac clara sint, intra fines, quos fecerat, peregit verbis auspicia, que mitti vellet.“ Intelligis igitur, augures Diis fines, & signa, ex suo ingenio, & voluntate, praescripsisse. Regiones ad inaugurandum definitas, templa appellabant. Iam, qua murus ducebatur, augures Hetrusco more, fines quosdam caelo ad terram usque pertinentes, singebant animo, quos ab usu profano separari cupiebant, Deosque ibi intra & extra urbem habitare & sedere: ut Dii, ne quid urbs detrimenti caperet, operam darent, utque extra urbem, ne qua vis hostium, & impetus, noceret, prouiderent. Hoc pomoerium, id est locus sacer, pone muros, Diisque animo auguris in primis destinatus, appellabatur. ^{b)} Ex his intelliges LIVIVM ^{c)} ias pomoerii interpretantem. „Pomoerium, inquit, verbi vim solam inuenentes, postmoerium interpretantur esse. Est autem magis circa murum, locus: quem in condendis urbibus Etrusci certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interior parte aedifica mænibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt: & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pareret foli. „Hoc spatum, quod neque habitare, neque arare, fas erat, non magis, quod post murum, quam, quod murus post id, pomoerium Romani appellabant. Pomoerium igitur terminos animo auguris intra & extra murum definitos, consecratosque, & ab humano usu separatos, appellabis. FESTVS ^{d)} soleinne carmen, quo augures usi sunt, cum pomcerium urbis consecrarent, his fere verbis recitauit: dii tutelares urbis! Pomoerium hoc ne minus, maiusque, faxitis; sed iis, quibus terminatum est, regionibus efferatis. Quo facto urbana auspicia pomcerii ambitu finiebantur. Hoc VARRO ^{a)} atque etiam GELLIVS ^{b)} affirmant. Addit VARRO: ^{c)} cippes pomoerii stare & circum ardolam ardeant, & circum Ronnam. Sed cippes, tabulas publicas interpretor, quibus pomcerii fines describuntur. Ita enim ut sentiam quatuor cippi, quos GRVTERI diligentia seruauit, effecerunt. Vnum recitabo ^{d)}

G 3

C. MAR-

^{a)} LIVVS I. 18. ^{x)} LIV. I. 7. init. ^{y)} LIV. I. 44. ^{z)} FESTVS
voc. pomcerium p. 186. ^{a)} VARRO LL. IV. 32. ^{b)} GELLIVS XIII. 14.
^{c)} VARRO I. c. ^{d)} GRVTERVS inscr. T. I. p. 196. 2.



C. MARCIUS L. F. L. N.

CENSORINVS. ET C. ASI

NIUS. C. F. GALLVS. COS.

EX. S. C.

FIN. POMOER. TERMIN.

Adiecit GRVTERVS etiam alium cippum; sed qui magis ritum pomærii *prolati*, continet. De iure enim proferendi pomoerii adhuc paucis exponendum. LIVIVS ^{e)} in vrbis incremento semper, quantum mœnia processura essent, tantum terminos hos consératos pomoerii *prolatos*, docet. Idem GELLIVS ^{f)} affirmat, & monet: Romuli pomærium Palatini montis radicibus fuisse terminatum, & multos editosque colles circumplexum. Sed ex LIVIO intelligitur ^{g)} ipsum etiam Romulum subinde illud protulisse, dum cresceret vrbis munitionibus, & alia atque alia loca, in spem magis futuræ multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirentur. Servius Tullius etiam vrbem adiectis duobus collibus pomærio prolati ampliavit ^{h)} TACIVS a pomærio Romuli, certis spatiis interiectos lapides affirmat, ab imo montis Palatini ad aram consi, mox ad curias veteres, tum ad facellum Larium: forumque Romanum, & Capitolium, non a Romulo, sed a T. Tatio adiectum vrbis. Dein, pro fortuna vrbis, auctum pomærium. Idem etiam in alio loco ⁱ⁾ Cesarem: more prisco, vrbis pomærium auxisse: quia illis, qui protulere imperium, etiam vrbis terminos propagare detur. Nec tamen duces Romanos, quanquam magnis nationibus subactis, ius illud usurpasse; præter L. Sullam & D. Augustum. Postea etiam reliqui imperatores aliquoties imitati sunt exemplum. Sed quia diuini iuris censebatur pomoerium, non alia, quam pontificis maximi, qua imperatores vtebantur, potestate, illud auctum fuisse CLAVDIVM loquitur lapis litteratus apud GRVTERVM: ^{k)}

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F.

CAESAR. AVG. GERMANICVS.

PONTIF. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP.—

XVI. COS. IIII. CENSOR. P. P.

AVCTIS. POPVL. ROMANI FINIBVS.

POMOERIVM. AMPLIAVIT. TERMINAVITQVE.

Ita de proferendo pomoerio habendum: quam potestatem ne principibus quidem permittam fuisse VOPISCVS tradit ^{l)} praeterquam illis: qui agri barbarici parte aliqua auxerint rempublicam Romanam.

§. XII.

^{e)} LIV. I. 44. f.) GELL. XIII. 14. ^{g)} LIV. I. 8. ^{h)} TACIT. Ann. XII. 24.
ⁱ⁾ I. c. cap. 23. ^{k)} GRVTER. T. I. p. 196. ^{l)} VOPISC. in Aurel.



§. XII.

In medio muro locus relictus est apertus, quem portae destinabant, minore, quam mœnia, religione cultus. Murorum enim locum religionis causa sacro aratro attingebant. Sulcum vomere aeneo ducebant. Sed ubi ad spatum portae acceperant, aratum tollebatur: locus ab utraque parte intactus relinquebatur: ne religio illum imbuueret, aut cum illo diuinum ius communicaret. CATO, apud ISIDORVM, hanc ceremoniam tradidit: „qui urbem, inquit, nouam condit, tauro & vacca aret; ubi arauerit, murum faciat: ubi portam vult esse, aratum tollat, & portet, ac portam vocet.“^{m)} PLUTARCHVSⁿ⁾ portarum spatia dimensos conditores, vomere exemto, aratum, locis portarum intactis, ait transtulisse. VARRO^{o)} qua viam relinquebant in muro, qua in opidum necessaria portarent, portas ait appellatas. ISIDORVS^{p)} portam, qua importari aliquid & exportari possit nominatam censet. Videtur in ipsa origine nomenis, causa ceremoniae, & cur aratum sacrum illo loco sublatum sit, posse deprehendi. Terra enim, quae vomere attingebatur, imbui religione, diis consecrari, & ab vsu profano separari, censebatur. PLUTARCHVS^{q)} tradit terram, cui sulcus impressus est, sacram, & inviolabilem, Romanis visam, ὡς τὴν ἀρχμένην πάσαν γῆν λεγόντες καὶ ἄστυλον γενομένην. Sed per portas omnia, quorum usus esset, etiam sordes, etiam cadavera, etiam alia importari & exportari necessitas poscebat: quibus religio pollui, locus facer, diisque commendatus, contaminari videretur. Indignius vero censebant diis immortalibus portas deinde eripere, atque, usu profano, & spurco, illos expellere, & religionem loci turbare; quam Deos ab initio non recipere. Hinc statim portas humani iuris esse voluerunt; ne Deus, quo loco receptus esset, postea expelleretur; quod etiam PLUTARCHVS obseruauit.^{r)}

Porra.

§. XIII.

Habes iam omnia opinor, quae ad urbem condendam pertinebant; Dedicatio sed, quae satis ruta non essent, nisi numine, in illorum quasi possessionem murorum, & missio, Deorumque praesidio, defenderentur. Hoc dedicatione urbis impe- portarum. trari posse arbitrabantur. Fossa boni omnis, quibus ritibus, qua ara imposta, antequam mœnia designarentur, consecrata sit, supra est a nobis ex NASEONE^{s)} explicatum. Sed de muris & reliquis partibus urbis videamus. DIONYSIVS^{t)} affirmat: boues ambos, qui ad aratum iuncti fuerant, macellatos, & alias victimas omnino multas immolatas; deinde populum adhucitum epulo: qui mos fere solebat in dedicationibus seruari. Sed

PLV-

^{m)} ISIDORVS XV. 2. ⁿ⁾ PLUTARCH. quæst. Rom. II. 271. & in vit. Rom. I. 23. ^{o)} VARRO IV. 32. ^{p)} ISIDORVS I. c. ^{q)} PLUT. II. p. 271. ^{r)} PLUTARCH. I. c. ^{s)} OVIDIUS Fastor. IV. 7. § 23. ^{t)} DIONYSIVS p. 179.



PLVTARCHVS ^{a)} de sacrificio quidem consentit: sed *incurruntum* desiderat: parum enim, & nullo sanguine cruentum, *natalem* *urbis* celebrandum Romanos censuisse. PLVTARCHO etiam Solinus suffragatur. ^{x)} Sed PLVTARCHO contradicit OVIDIUS, qui ipse sacro pastorali scribit sanguinem fuisse adhibendum. ^{y)} Et præterea LIVIVS ^{z)} testis est, munito colle Palatino, ritu Herculis, *cæsas* *hostias* fuisse. Has inter ceremonias muros *dedicatos*, vel solus lapis litteratus, quem HEINECCIVS ex GRVTERO adduxit ^{a)} argumēto est. Ille muros Veronenses *dedicatos* loquitur. Sed dedicata sunt mœnia diis, quorum in tutela illa loca erant. Singulæ enim urbes, Diis singularis, velut pupillæ, solebant commendari. Romulus Deorum, quorum tutelæ loca essent, augurium petiit. ^{b)} Illud etiam MACROBIVS testatur. Præterea carmen euocandorum Deorum, ab ipso recitatum, sententiam confirmat. ^{c)} Si Deus, si Dea est, cui populus ciuitasque Chartaginensis in tutela est; precor, venerorque, veniamque a nobis peto: ut populum ciuitatem quem deseratis! Hinc TACITVS comminiscitur ^{d)} Hyerosolymis vocem, humana maiorem, esse, auditam: *Deos excedere*: & fuisse ingentem motum *excedentium*. Hac de re etiam Acneam ^{e)} audimus conquerentem:

— — — — —, quæ sit fortuna videtis.

Excessere omnes adytis arisque relictis,

DI quibus imperium hoc steterat.

Ergo urbes omnes quibusdam Diis commendatae: Coloniæ illis plerumque, quorum in tutela matres, a quibus fuerant digressæ. Illos tutores Deos subinde in nummis ostendebant, quod SPANHEMIVS comprobavit. ^{f)} Romani *urbis tutelam* occultabant, ne quod ipsi iuris in alias urbes statuerant, eodem & ipsi vterentur aliquando: id est, ne *Dii euocarentur* ab hostibus, & discederent ex urbe euocati, quos ipsi ex urbis hostium subinde euocarant. In qua re tanta cautione vñi sunt, ut ne *latīnum* quidem *nomen* *urbis* voluerint rescribi; sed vñi sunt Græco: quod MACROBIVS ^{g)} & SOLINVS ^{h)} obseruarunt; quamvis SOLINVS Romanum, latino nomine, dictam VALENTIAM fuisse arbitretur. ⁱ⁾

Ergo ignotum, cui deorum moenia Romæ dedicata, quo numine defensa. Sed NASO tamen carmen dedicationis recitauit: ^{k)}

Vox fuit hæc regis. condenti Iupiter urbem

Et genitor mauros, vestaque mater, ades,

Quosque pium est, adiubere Deos: auerriue cuncti,

Auspiciis vobis loc milii furgat opus.

Lan-

- ^{a)} PLVTARCHVS vit. Rom. p. 23. ^{x)} SOLIN. polyhist. cap. 1. ^{y)} OVID. fast. IV. v. 733. ^{z)} LIV. I. 7. ^{a)} HEINECCIVS antiquitat. II. 1. 6. ^{b)} LIV. I. 6. ^{c)} MACROB. saturn. III. 9. ^{d)} TACIT. hist. V. 13. ^{e)} VIRG. Aen. II. 351. ^{f)} SPANH. d. vi. & præst. numis. t. I. diff. 9. p. 570. ^{g)} MACROB. saturn. III. 9. ^{h)} Solin. cap. 1. ⁱ⁾ I. c. ^{k)} OVID. fast. IV. v. 828.



Longa sit h[ic]as dominique potentia terrae:
Sitque sub hac Oriens Occidensque dies.

Videtur etiam **NASO** tutelam urb[is] dissimulare voluisse, & generatim appellasse, quos

— — — pium est, adhibere deos.

Si licet in re incerta suspicari; mœnia aut **IOVI**, aut **HERCVLI**, sacra fuisse coniicio. Ioui quidem commendata videri possunt, quia **NASO** / **IOVEM** tenuisse post precationis carmen, & lævo cælo fulmina misisse, auctor est; nisi hoc forte debet ad capta auguria referri. Sed de **HERCVLE** minus videtur dubitationis; cui Romulum in primis, opere perfecto, sacra solennia fecisse apud **LIVIVM** inuenio. ^{m)}

Quidquid illorum fuerit, certum est: mœnia fuisse *diis* commendata; non tamen semper *medioxumis*, existimauerim, id est, *heroibus* & *semideis*, quibus propter virtutem honores diuini habebantur; sed etiam *maioribus* subinde. Hoc enim & Romæ dedicatio, a **NASONE** recitata, indicat, & **SPANHEMIVS** nummis comprobavit. ⁿ⁾ Quare imbecilles animi militum, qui facile superstitione illa concipere posse videbantur, ita accensi sunt, ut si qua vis ingrueret, non tam pro mœnibus, & laribus priuatis, quam pro *diis immortibus*, quorum in possessione mœnia erant, arma se sumere, & pugnare crederent, spemque victoriæ, & successus, ex tutorum ope, & potestate, precepient.

Habes igitur *mœnia diis* solenni precatione dedicata. Sed ne quid desit illi ceremoniæ, etiam *leges additæ*, quibus coli *mœnia* debebant: perinde, ut in dedicatione templorum *leges* carmini precationes subiectas inuenimus. ^{o)} **NASO** *legem* de muros non transsiliendis, p) adiiecit precationi.

*Nec quis aut muros, aut tactam vomere terram,
Transferat; audenter Italia dedit uici.*

Hoc causæ est, cur **VLPIANVS** L. 8. §. 2. D. d. diuis. rer. in municipiis etiam, muros esse sanctos doceat; quia mos idem dedicationis per totam Italiæ frequentabatur. Sed cum *lege dedicationis* caue *legem* aliam confundas, dedicatis coloniis, in tabula propositam, qua *forma* & *vniuersitas agrorum*, & *iura colonorum*, definita sunt. Hanc **MARO** intelligit in loco supra excitat: ^{q)}

— — — *Cui littus arandum,*
Atque loci leges dedimus.

Quod

^{D)} OVID. I. c. ^{m)} LIV. I. 7. ⁿ⁾ OVID. I. c. ^{o)} SPANHEM. I. c.
^{o)} LIV. I. 10. ^{p)} QVID. fastor. IV. 839. ^{q)} VIRGIL. Aeneid. IV. 212.

Fasc. III.

H



Quod argumentum VENVLIVS SATVRNIVS L. 8. pr. D. ad L. Iul. pec. traxit. Hæc igitur de *dedicatione urbium* obseruanda videbantur. Rebus diuinis perpetratis, ædes priuate intra muros institutæ: & spatiū illarum *sulco singulari* comprehensum. Illud vel *optionem electum*, vel *sorte attributum*. De *optione MARO*:¹⁾

Pars optare locum recto, & concludere sillo,
sortitionis vero mentionem alio loco iniicit:²⁾

In rea Aeneas urbem designat arato,
Sortiturque domos.³⁾

Hoc iure spatio domorum distributa.

§. XIV.

Sanctitas murorum, & urbium, sanctitas: quæ religio in illas introducta, ut cniibus ad urbem defendendam, & propugnandum pro mcnibus, animos angerent; quam TVLLIVS¹⁾ tantam esse existimauit, vt affirmare ausus sit: pontifices quidem muros sanctos dicere; sed diligentius religione urbem, quam mcnibus, cinxisse. Quapropter VLPIANVS L. 9. §. 4. D. d. diuis. ver. muros municipales ait, nec refici posse, nec eis aliquid coniungi, nec superponi, nec immitti; sed principis demum, pontificis maximi, auctoritate concedi posse, vt aliiquid in illis moliamur.

Hoc autem ferri non posse existimauerim, quod GAIUS L. i. pr. D. d. diuis. ver. muros & portas duntaxat res sanctas, & quodanmodo diuini iuris appellauerit. Videtur enim res mirifice a Triboniano perturbata, qui muros & portas non seiuinxit. Res sanctas appellat VLPIANVS dict. L. 9. §. 3. quæ neque sacrae, neque profanae sint, sed, vt leges sanctæ, sanctione quadam subiuantur: easque sanctas videri, & si deo non sint consecratæ. Apparet, si ita res sanctas accipias, non quidem recte ad rerum sanctarum exempla muros & moenia referri: quæ, cum sanctione quadam confirmata sint, diis praeterea solenni dedicatione, ritu veteri consecrabantur. Ut enim taceam, religionem, quam TVLLIVS in muros ait introductam; quis dubitet, moenia anspicato, die festo, loco pleno religionis & omnium, condita, facro vomere, a rebus profanis separata, pomcerio ab utraque parte circumsepta, quod ab aliquo numine habitari credebatur: diis tandem dedicata, & a violatione & iniuria, religiosissimis ceremoniis, & sanctionibus, defensa, adeoque consecrata, non duntaxat sancta esse, sed omnino sacra, & diuini iuris communione contineri? Plerosque vero, vt a rebus sacris muros sciungerent, permouit, quod nimis

ille

1) AENEID. I. 429.
sub fin.

2) AEN. V. 787.

3) ESS. d. natura deorum III.

illæ diis superis, res sanctæ & muri vero in primis diis medioxumis esse dedicata videantur. Sed illud primum omnino falsum est: & supra comprobatum, mœnia etiam ad deos optimos maximos relata. Neque illud difficulter fidem inueniet, si cogitaueris, quod muri etiam subinde deorum superiorum manibus exstruci & defensi, pro veterum superstitione, credebantur. Illud enim SPANHEMIVS docuit multis argumentis. ^{u)}

Sed faciamus: muros diis medioxumis fuisse consecratos. Nihil religio-
ni, nihil diuino iuri murorum, & munium, decedet. TVLLIVS auctor
est ^{x)} Alabandensium urbem ab Alabando conditam; sed sanctius eum coli a
ciuibus, quam quenquam nobilium deorum; vt intelligatur, muros etiam he-
roibus addictos, non minus diuinis honoribus, & sanctissimis religionibus, fuisse
custoditos, quam quæ deorum superiorum maximorumque numine defenden-
tur. Ausim affirmare muros non tantum ad res sanctas & sanctionibus subni-
xas, sed etiam ad res sacras, diis consecratas, seu sacro sanctas pertinere.

De portis paulo aliter habendum. Illorum locus nec sacro vomere at-
tactus, nec iustiatione purgatus, nec a profanis rebus sciunctus, nec diis dedica-
tus, sed humanis v̄sibus destinatus est. Inuenio apud GRVTERVM ^{y)} portas
interdum Iouialer, interdum Herculeas, iussu principum, vocatas. Sed ex so-
lo nomine vix ius diuinum assequuntur. Nomen vel propter religionem mu-
rorum, quos attingebant, vel propter templa, ad quæ per ipsas aditus patebat,
nactæ sunt. Sed sola nimirum sanctione defendebantur ab iniuria, adeoque in-
primis ad res sanctas; sed propter vicinitatem, ad res, quæ quodammodo di-
nini iuris habebantur, quamvis proprie ad res humani iuris pertinerent a vete-
ribus referebantur. Hoc TRIBONIANVM induxit, vt, cum portas a rebus
diuinis sciungendas esse cerneret, muros etiam eodem iure censendos per erro-
rem communisceretur.

§. XV.

Hoc ritu imbuta religionibus moenia, & in deorum potestate constituta;
moueri tamen aut transferri non debabant, nisi vetustate collapsa, aut ruinis
deformata, instauratione operum, & refectione indigerent. Sed ne tum qui-
dem, inconsultis aruspiciis, & neglecto pontificis maximi consensu. Neque
enim præcipiente VLFIANO L. 9. §. 4. D. d. diuis. ver. muros municipa-
les reficere licebat, sine principis pontificis maximi auctoritate. Sed ne princi-
pes quidem facile, cum refectionis necessitas imponeretur, mutabant formam
veterem, aut consecrata mœnia prioribus vestigiis mouebant. Rudera egeri
& in paludes auchi solebant. Hoc VESPASIANVM, cum Capitolium resti-
tueret, aruspices monebant: vt reliquæ prioris delubri aueherentur in paludes:

H 2

*Instaura-
rio, & refe-
ctione muro-
rum.*

tem-

^{u)} SPANHEM. l. c. t. I. diss. 9. p. 560. ^{x)} CIC. d. natur. deor. III. cap. 19.
^{y)} GRVTER. t. I. p. 162. l. 2.



templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. ^{a)}
Altitudo mœnibus adiici poterat: id solum etiam in templis religio ferebat. ^{a)}
 Facile **TACITVS** fidem inuenierit, qui iisdem ait ceremoniis, quo conditum
 fuerat Capitolium, illud fuisse restitutum. ^{b)} Romæ mœnia sub *Honorio* re-
 fecta esse, marmor antiquum indicat adductum a **DEMSTERO**:

S. P. Q. R. IMP. COSS. DD. NN. INVICTISSIMIS.

PRINCIPIVS

HONORIO. ET. ARCADIO. VICTORIVS. ET. TRIVM-
 PHATORIVS. SEMPER. AVGVSTIS. OB. INSTAVRA-
 TOS. VRBIS. AETERNAE. MVROS. AC. TVRRES.
 EGESTIS. IMMENSIS RVDERIVS. EX. SVGGESTIO-
 NE. V. C. ET. ILLVSTRIS. MILITIS. — ET. MAG.

MIL. STILICH

AD. PERPETVITATEM. NOMINIS. EORVM. SIMVLA-
 CRA. CONSTITVIT.

Ex illo fere tempore, aut paullo ante hanc refectionem, Roma cœpit vrbs æter-
 na nominari. Hoc illam elogio ipsi Imperatores VALENT. ARCAD. &
 THEODOS. L. i. C. d. suariis appellarunt. Vrbium æternitatem, simulacro
elephantis indicari SPANHEMIUS ex nummis enarravit. ^{c)}

§. XVI.

Euerſio vr- Satis igitur æternitatí vrbiū prospectum videbatur, quas & tanta can-
biūm. tione, ac sollicitudine, magistratus considerint, & tot munitionibus muniue-
 rint, tanta religione posteri refecerint; dii in tutelam receperint, suoque numi-
 ne, & prouidentia, defenderint, ac seruarint. Sed SERVIO SVLPICIO,
 cum ab Aegina Megaram versus natigaret; Aegina, Megara & Piræus & Co-
 rinthiis, quæ florentissima quondam opida fuerunt, dirata & prostrata, nunc
opidum *cadavera;* uno loco proiecta, erant argumento: nihil tamen tutum esse,
 atque aduersus impetum munitum, quod non rebus vertentibus, vel fortu-
 na, vel Deorum potestate, infirmetur. ^{d)} Enimvero quæ vrbes, cum conde-
 rentur, *nasci* dictæ sunt, & diem natalem festum celebrarunt ^{e)} tandem aliquan-
 do *dirutæ*, & *postratae*, *emori* & *capitis deminutionem*, & *mortem ciuilem*
 pati putabantur. Si enim *aratrum*, in vrbe *inductum*; ciuitas esse desinit,
 vt passa est Carthago: itemque *quasi morte* desinit habere vslumfructum, qui ci-
 uitati fuerat legatus. Ita **MODESTINVS** L. 21. D. quib. mod. usus fr. fin. præci-
 pit.

^{a)} TAC. hist. IV. 53. ^{a)} l. c. f. d. id. ibid. ^{b)} DEMST. ad Rin. I. 2. p. 9.

^{c)} SPANHEM. l. c. ^{d)} CIC. epistol. ad familiar. IV. ep. 5. §. 9. 10.

^{e)} OVID. fastos. IV. v. 812.



pit. Porro qui dies urbibus condendis commodus, & opportunus, iisdem
euerdendis aptus & fatalis videbatur: f)

Scorpius extremæ cum tollit lumina cauda
Vrbibus augebit terras, iunctisque iuencis
Moenia succinctus curvo describet arato;
Aut sternet positas urbes, inque arua redebet.
Oppida, & in dominibus matus reddet aristas.

Qui magistratus urbes instituit, etiam delebit g).

Sarmaticumque premet succinctus consul aratrum.

Qua sulcum condendæ urbis ceremonia duxerat, eadem daret euentendæ: h)

Et alis urbibus ultimæ
Stetere caußæ, cur perirene
Funditus, imprimaretque muris
Hostile aratum exercitus insolens.

& secundum SENECAⁱ⁾ erit aliquis, qui vetustis urbibus aratrum induere potentiam putabit.

En canpos, ubi Troja fuit k).

Nam teste NASONE^{l)}

Iam leges est, ubi Troja fuit.

Ex hoc enim sulco maxime dirui urbes, & everti, dicebantur. Denique quibus cōsul manibus fundamenta ponit, iisdem secundum NONIUS^{m)} aliando oppidum pulcherrimum, si res feret, exfundabit: qua voce deos precatus est, ut urbem & moenia sua esse in tutela paterentur; eadem deos euocabit, rogabitque, ut qui urbis, populique, tutelam receperint, urbem deferant, loca sacra, templa, diuina, & humana, omnia relinquant. n) Hæc sunt vices temporum & rerum.

Nos quidem urbi & patriæ aeternitatem, sed augustinissimo patriæ parenti imprimis felicissimam immortalitatem in his terris appreciamur.

f) MANILIUS astronom. IV. v. 560. g) LUCANVS VII. v. 430. h) HORAT. I. carm. 16. v. 17. i) SENECA de Clementia I. cap. 26. k) VIRGILIVS Aeneid. v. 11. l) OVID. heroid. I. v. 59. m) NONIUS Marcellinus cap. p. m. 544. n) MACROB III. Saturn. cap. 9.



OBSERVATIONES
AD L. III. D. DE BONIS EORVM
QVI ANTE SENTENTIAM SIBI MORTEM
CONSCIERVERVNT.

OPINIONI QVORVNDAM
DE AVTOCHIRIA, QVAM FINGVNT, INNOCENTE
OPPOSITAE.

VITEMBERGAE, KAL. SEPTEMB. M DCC XXXIX.

§. I.

Itagi au-
toxigia. **A**ffirmarem, pessime illos Themidi cupere, & nostre arti innidere, qui iureconsultos veteres accusant, quasi licentius *de sui ipsius cæde philosophati* sint, illorumque consilia probarint, qui tædio vitæ & impatientia doloris mortem sibi consciuerunt: immo vero temere hos accusatores, & audacter, illa criminacione in veteres legum interpretes vsos fuisse affirmarem: nisi Vir summus, CORNELIUS VAN BYNCKERSHOEK, a) eandem iureconsultis accusationem intendisset. Ait enim, fuisse jurisprudentiæ veteris decretum: *mori licere, cui vivere non placuerit; nisi quis mori quam damnari maluerit, ob conscientiam criminis.* Sed postea subiungit: generatim, cum quis vitæ suæ fructum & operas aliis obligauisset, prohibitum fuisse, ne quis manus suo corpori inferret. Quæ an recte existimata sint, expediemus.

§. II.

De ciuibus & militibus, mani præceperunt; sed de illis in primis, quæ erant *manifesta*, & quæ si intermitterentur, necesse erat, directo laedi aliorum commoda, & sociorum utilitatem interuerti, ad quam promouendam augendamque suo se facto quodam obligatorio ciues obstrinxissent. Cetera propemodum cuiusque pudori & verecundiæ permittenda esse arbitrati sunt; cum non videretur libertas hominum ingenuorum pati posse, ut legislatores plura ab ipsis exigerent, aut obligaciones nouas ipsis imponerent, quas non suo quisque facto aliquo, & consensu,

mi-

a) V. BYNCKERSHOEK obseruat: iur. Rom. I. IV. c. 4.



minimum factō, & prae sumto, contraxisset. Huius sententiae, postea correxit, in *f. 2. I. de oblig.* vestigia quædam deprehendis, cum affirmet imperator: omnes vel ex contractu aut maleficio, vel quasi ex contractu, aut maleficio, quo alter directo laederetur, obligationes & officia civilia enasci. Eodem igitur modo de illis, qui mortem sibi consciuerant, constituendam esse crediderunt: ut cuiusque conscientię, & iudicio, relinquerent, an manus sibi inferrere vellet, si illud sine cuiusquam incommodo fieri posse videretur. Non quidem, mea sententia, quod probarent, illud factum esse; sed quia hæc talia prohiberi non posse ciilibus præceptis, sed illis de sola iniuria alteri illata, deque officiis manifestis, ad que seruanda factò obligatorio, quod dicunt, & consensu suo se quilibet obstrinxerit, certi aliquid definiri posse arbitrarentur. Contra vero, si quod in cuiusquam vita momentum versaretur, quod ad amplificanda aliorum commoda, quorum ille procurationem factò quodam suo inscepisset, omnino pertineret; tunc subinde, si quis vitam morte voluntaria finiret, rem exempli esse censuerunt. Hinc Tarquinius Priseus, quod Vir *Cl. van BYNNERSHOEK ex PLINTO b)* obseruat, cum Quirites sibi mortem consicerent non alia ex causa, quam vt operas, quas iussérat, euitarent, & se reipublicæ subtraherent; omnium ita defunctorum fixit crucibus corpora, spectanda ciuibus, simul & feris volucribusque laceranda. Videbantur enim ciues, cum in ciuitatem congressi sint, præstandarum operarum & obsequii necessitatēm suo sibi factō aliquo inposuisse. Postea placuit: nec militibus ignoscendum esse, qui armorum ferendorum officium, de quo præstanto fidei sacramento obligassent, morte voluntaria eludent, & preuentant. Doeet enim *ARRIVS MENANDER L. 6. f. 7. D. de R. mil.* Hadrianum imperatorem rescripsisse: militem, qui sine causa se vulnerauerit, aut mortem consciuerit, capite videri puniendum; prorsus ex eadem ratione ex qua veteris disciplinæ rigor ab illis, qui fugam fecerant, conspicientibus militibus, & a caligatis, id est gregariis, c) qui metu hostium languorem simulauerant, propter exemplum, capitis pœnam sumferat d. *L. 6 f. 3.*; contra, si quis tædio vitae, aut morbo, aut furore, mori maluerit, aut impatientia doloris, non animaduertendum quidem in militem, quia inutilis & inidoneus videretur; sed illum tamen ignominia mittendum esse: cum res publica recte ab illo exigeret, vt etiam vitae tedium, & luctum, & dolorem, vinceret ciuium causam & patriam, cui operam & animos & vires omnes dicto inreiurando obstrinxisset. Ita etiam *PAVLVS L. 38. f. ult. D. de poen. disputat.* Igitur causa reipublicæ in militis vita, quam patriæ obligauerat, versari credebat: vt ipsi omnino parci non posset, si vel temere, ac sine causa, vel tædio vitae, & præcipitis animi fure, manus sibi intulisset; sed vel pœna capit's vel ignominia coercendus videretur. Existimat *V. C. van BYNNERSHOEK*

b) *PLIN. hist. nat. XXXVI. 15.*

c) Ita *TORRENTIVS* interpretatur ad *Suet.*

Aug. 25.



KERSHOEK, huic sententiae obstat VLPIANVM, qui l. 6. §. 7. D. de iniust. rupt. sensuit, valere testamentum militis, qui taedio vitae, vel dolore, mori maluerit, si ex illo facto perpetrato decessisset; cum tamen illorum qui ignominia missi sunt, testamenta debeat valere, si MACRVM l. 26. de test. milit. disputantem audiamus. Sed res salua est, & bene haec cohaerent. Neque enim illa ratione priora euertuntur, aut euincitur, impune militi fuisse, qui taedio vitae mortem consciusset. Enimvero plororumque militum, etiam illorum, qui ex delicto militari damnati, & senteniam passi fuerunt, testamenta seruata sunt, teste eodem VLPIANO l. 6. §. 6. D. de iniust. rupt. & porro l. 11. pr. D. de test. milit. Familiare fuit Romanis, testamenta militum, quibus infirmatis non tam ipsis, quam heredibus illorum nocebatur, semper, nisi grauissima causa intercederet, iure militari sustinere. Praeterea miles, qui, si viveret, ignominia duntaxat mittendus esset, in ipsa morte satis supplicii, cui exsequendo manus suas ipse commodauerat, habere videbatur. Nunquam igitur veteres militi in se ipsum saeuienti ignoscebant.

§. III.

Servi in corpus suum non suo arbitrio, sed ex voluntate domini, agebant, suique corporis occisione heri patrimonium exhaustiebant. Nec tamen in seruis fere, qui rerum magis, quam personarum, loco habebantur, quantum deliquerint, sed quantum domino illorum caede noceretur, aestimaturn est. Hinc seruus malus veteribus videtur, qui aliquid fecit, quo magis se rebus humanis extrahat, ut puta: qui laqueum torsit, vel venenum pro medicamento bibt (ita enim legendum esse docet van BYN KERSHOEK) praecepitemus se ex alto misit, vel aliud quid commisit, quo facto sperauit se ad mortem peruenturum. Sic VLPIANVS praecipit l. 23. §. 3. D. ad ædil. edict. quia non nihil in alios ausurus videatur, qui hoc aduersus seipsum ausus est. Ergo nec seruus probabatur, qui cum se & sua omnia domino deberet, eius patrimonium labefactauit, corpore suo vulnerato, aut occiso. Sed instat v. c. van BYN KERSHOEK: ita tamen philosophatos fuisse veteres, ut seruis naturaliter licere existimauerint, saeuire in suum corpus. VLPIANVS enim l. 9. §. 7. D. de pecul. si ipse seruus, inquir, se vulnerauerit, non deber dominus hoc damnum de peculio deducere; non magis quam si se occiderit, vel præcipitauerit: licet enim seruis naturaliter in suum corpus saeuire. Pignore certares, ita visum esse Vlpiano, quod naturaliter, id est, ratione & iure naturali cuius licet vim suo corpori inferre. Et videntur satis in illa lege praesidii habere, qui iureconsultos accusarunt. Sed nolim ita haec verba a legum interpretibus peruerteri. Nihil dixisset VLPIANVS, si dixisset,



set, seruis naturali iure hoc licere, ut in suum corpus saeuiant: cum de iure ciuili quaereretur, & an liceret domino damnum ita acceptum de peculio deducere secundum ciuilia praecepta. Aut omnia me alluni, aut verba illa, quod seruo naturaliter liceat, non de iure naturali, sed de statu serui accipienda sunt. Seruitutem enim contra naturam esse veteres credebant *s. 2. I. de iur. pers. vt naturaliter*, nisi instituto gentium introducta esset seruitus, nemo esse seruus videretur. Naturaliter igitur seruo, id est, si non esset seruus, nec vitam & vires suas domino deberet, si de ipso tanquam homine libero statuendum esset, liceret saeuire in corpus suum. Sed liceret, non naturali iure, sed ciuili duntaxat, quod pronunciauerat: hominibus liberis, si velint permitti, vt. sine cuiusquam damage directo manus suis visceribus inferrent. Quasi dicat **VLPIANVS**: nihil hoc loco inter hominem liberum, & seruum, interesse, sed propter eandem causam, qua liberis permitteretur ius *autoxenias*, illud etiam seruis esse concedendum, ciuilibus praeceptis. Sed ius ciuale homini libero, in se saeuire non ita permiserat, quasi probaret hominis furorem, qui secum ipso capitalem controversiam exercuisse videbatur: neque, vt recte illum, aut ex naturali ratione agere pronunciareret; sed quia ius ciuale olim de illis duntur at acti nibus hominum liberorum disposuerat, quarum officia semper manifesta esent, & quibus alter directo laedi posse videretur. *Incertum* credebant, si quis sibi manus intulisset, quo casu esset illud perpetratum; sed non magis illud certum in seruis, de quibus hac in causa idem, quod in hominibus liberis, conuentum esse arbitrabantur. Ut igitur toram **VLPIANI** argumentationem intelligas; ita haec accipienda sunt. Querebatur, an dominus qui de peculio serui conueniebatur, deducere possit de peculio pretium serui, qui se ipsum occidisset, aut praecipitasset. Negat **VLPIANVS**: quia seruo naturaliter, hoc est, si liber esset, ut omnibus hominibus liberis impune liceret, iure ciuili duntaxat, in sua viscera saeuire. Cum enim liberi homines qui sibi mortem conciverant, ex hac causa puniri non possent, quia *incertum erat*, deliberato, an casu, aut per furorem, atque impotentiam se occidissent; ne de seruo quidem aliter habendum; neque dici posse, quod se uushoc nomine domino aliquid debeat: quia forte citra consilium animi, casu, aut furore, vitam finire potuisset. Adeoque hanc serui mortem, aequae ac liberorum hominum non ad damna maleficio serui data, sed tere ad casus fortuitos, & ad fatalia damna pertinere: quae cum solus dominus sentire debeat, ex peculio, quod creditoribus obligatum erat, deduci non posse videbantur. Alii *naturalem* hanc *licentiam* de facultate naturali interpretati sunt, ac si **VLPIANVS** dixisset: seruo per vires corporis licere, ut saeuiat in corpus suum: *naturam* seruis duas manus aequae, ac liberis hominibus, dedit, quas possent in se ipsos conuerte-

Euse. III.

I

re.



re. Hoc damnum a domino caueri non posse, adeoque seruorum pudori relinquendum esse, ut recte de suo corpore statuant. Quamcunque interpretationem acceperis; illud tamen dominus van BYNkershoek numquam ex hac lege elicit, quod sibi fixerat iuris civilis decretum: *licere homini moraliter & naturali ratione mortem sibi consicere.*

§. IV.

De illis qui morrem sibi ante sententiam conscientiam consciuerunt. Tunc igitur demum ciuili iure in *œvrōxepes* animaduersum est, cum vita illorum & operae aliis esse obligatae viderentur. De illis videamus, quibus sententia capitalis imminebat. Erhi enim, postquam postulati erant criminis, quasi ex contractu, & propter vilitatem communem societatis, vitam debebant reipublicae, donec vel absoluti, vel damnati essent, & ab ipsis supplicium, propter exemplum, iudicis auctoritate sumeretur. Praeterea damnatione subsecuta etiam possessiones & bona in crimen capitali fisco obstricta erant, inque illum inferenda. Hoc CALLISTRATVS docet l. i. *D. de bon. damnat.* Igitur ne illis quidem de vita sua arbitrium omnino relinquendum esse videbatur. Sed olim quidem propter maximam in absoluendis reis facilitatem veterum prudentum, propterque heredum innocentium fauorem, illi, qui mortem ante sententiam sibi consciuerint, quamvis postulati, tamen bona sua heredibus, excluso fisco, relinquiebant. Quod miror a iureconsultis me non inuenisse obseruatum. VALERIUS MAXIMVS eiusmodi speciem enarrat: *d)* Caium Licinium Macrum virum praetorium, Calui patrem, criminis repetundarum reum, dum sententiae diriberentur, in Maenianum descendisse: mox cum Marcum Ciceronem, qui id iudicium coegerit, praetextam (quam ponere solebant magistratus, cum damnationis sententiam pronunciarent) ponere vidisset, misisse ad eum qui diceret: se non damnatum, sed reum, periisse, nec sua bona haftae subiici posse: ac protinus sudario, quod forte in manibus habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte praecurrisse: illaque re cognita, de illo Ciceronem nil pronunciasse: ita ingenii illustris oratorem & ab inopia rei familiaris, & a crimine domesticæ damnationis, inusitato genere paterni fati vindicatum esse. Quondam igitur cludi sententia publicationis poterat, si quis occuparet carnificis officium, & de suo corpore supplicium sumeret. Postea intellectum, ita fraudem legibus fieri, & fisco bona, quae post sententiam publicanda essent, extorqueri; hinc MARCIANVS l. 3. *D. de bon. eor. q. ant. s. duce PAPINIANO* præcipit; qui rei postulati, vel qui in scelere deprehensi, metu criminis imminentis mortem consciuerint, illos heredem non habere. Nihil igitur sentiebat pœnae, qui ipse suis manibus fatum suum occupasset. Ipse enim reus sibi non pepercera, obieratque

d) VAL. MAX. IX. 12. n. 7.

pœnæ publicae ministerium. Et quamvis eriam in cadaver propter exemplum animaduerti potuisset; satis tamen ipsum habere supplicii credebant. Id ferri posse non videbatur, quod voluntaria reorum morte fisco eriperent bona, post sententiam damnationis publicanda. Igitur heredem non habebant; sed bona inferebantur in fiscum; neque tamen ideo inferebantur, ut pœnam propter cœdem sui a reo sumerent; sed ne fisco nimis frauderet voluntaria occisione. Hunc fere in modum LIVIVS ^{c)} affirmat, illos qui conscientiae causa elegissent exilium, absentesque essent damnati, corporibus subtrahitis, bona tantum, quae publicari poterant, pœnæ pigneranda praebuisse. Quia igitur non de pœna αὐτοχειρίας, sed de fisco non defraudando, agebatur: bona illius, qui mortem sibi consuerat, non publicata sunt, nisi ob crimen, propter quod, etiam damnatione subsecuta, morte aut deportatione afficiendus esset reus, & bona in fiscum inferenda. Ita idem MARCIANVS d. l. 3. §. 3. rem definiuit. Hinc si furti reus sibi manus intulit, bona non publicanda sunt, quia ipsi non adimerentur, si compertum in ipso furturn fuisset. Sed nondum ICti substiterunt; nec sufficiebat, dignum bonorum publicatione crimen ab illo perpetratum esse, qui in corpus suum saeuierat. Desiderarunt, ut reus etiam eius postulatus esset, aut in scelere omnino deprehensus, antequam mortem voluntariam obiret. De solo enim consilio fraudis quaerebatur, ab illis inito, qui sententiam & bonorum publicationem morte praeuertere volebant. Huius nulla erat certa suspicio, nisi intelligeretur, reum metu conscientiae teneri quasi confessum. Ait enim MARCIANVS pr. d. l. 3. non facti sceleritatem esse obnoxiam, sed conscientiae metum in reo velut confessio teneri: ideoque, inquit, aut postulati sint, necesse est, aut in scelere deprehensi, ut, si se interficerint, bona eorum confiscentur. Imo vero ne omnes quidem, qui criminis postulati essent, aut deprehensi in scelere; ex quo bona publicanda viderentur, bona amitterebant; sed illi demum, ex quorum morte posset probabili indicio cognosci, illos veluti confessos esse crimen, cuius erant postulati. Igitur, qui taedio vitae, vel impatientia doloris alicuius, vel alio modo vitam finierat, habebat successorem, ex rescripto Diui Antonini, D. l. 3. §. 4. & bona eius seruabantur; quia incertum erat, vtrum conscientia sceleris, an alia de causa, in suum corpus saeuisset.

Ex quibus rebus intelligitur, quam inique agant cum iureconsultis, qui ex hac lege eliciunt, probasse veteres, & innocua censuisse illorum consilia, qui taedio vitae, & impatientia doloris spiritum vitalem emisissent. Audeo affirmare, nunquam hoc veteribus venisse in mentem. Neque enim hac lege agebatur, qua pœna, reo mortuo, crimen αὐτοχειρίας afficiendum esset, sed an indicium conscientiae, & criminis, cuius quis esset



esset postulatus, ex voluntaria morte accipi posse videretur? qua in disputacione illi, qui tædio vitæ mortem consciuissent, rectius absolvebantur: non, quod illos recte fecisse quisquam indicaret; sed, quia in his incertum erat, ex criminis & damnationis metu, an alia de caussa, manus sibi intulissent.

§. V.

Poena it- Sed vt plenius intelligatur, veteres iureconsultos, qui sub Imperatoribus lorū, qui maxime vinebant, damnasse illorum conatus, eosque improbos, & inconsultos censuissē, qui mortem sibi ipsis consciuissent; audiamus MARCIANVM d. l. 3. *ſ. 6. D. de bon. eor. qui ant. ſent.* de illo, qui manus sibi intulit, sed nondum illud factum perpetrauit, disputantem. Cum queritur, inquit, an is, qui manus sibi intulit, & non perpetrauit, debeat puniri, quasi de se fententiam traherit? omnino puniendus est; nisi impatiens doloris, vel tædio vitæ coactus sit hoc facere. Et merito, si sine caussa hoc fecit, puniendus est: qui enim sibi non pepercit, multo minus alii parcat. Audis igitur, punitos, qui sibi sine caussa manus intulissent; sed eadem de caussa, ad quam contendebant omnia ciuilia præcepta: quia nimis alios vel læsiſſe, vel læſurus esse, videretur, qui ſuo corpori non pepercisset. Neque tamen hæc veterum severitas illustri Domino V. BYNKERSHOEK perſuadit, vt iureconsultos ab illa macula absolvaret; quos credit patrocinari illis omnibus, qui sibi mortem consciuissent. Ait enim, in illos duntaxat hac lege animaduersum esse, qui sine omni cauſa manus sibi ausi sint inſerre. Sed quamlibet omnino cauſam iureconsultis sufficere, ad reum excusandum; vt locis huic poene vix esse poffit, utque illa dicis cauſa constituta esse videatur. Enimvero non ſolum tædio vitæ, & impatiens doloris illum defendi, qui manus sibi intulisset, ſed VLPIANVM etiam l. 6. *ſ. 7. D. de iniuft. rupt.* hanc excusationem accipere, ſi quis, vt quidam philoſophi, iactationis cauſa mori maluerit: & PAVLVM, l. 45. *ſ. 2. D. de iure fisc.* eius bona, qui pudore aeris alieni ſeipſum occiderit, ſuccessoribus relinqui voluisse: ſemper aliquid eiusmodi cauſæ obtendi potuiffe: adeoque huic paenæ locum fuisse nonquam: ſed fauiffe iureconsultos hominibus, qui mortem ſibi ausi ſint afferre. Verum, huic dubitationi varie poterit occurri. Enimne-ro neutra lege abſoluuntur illi, qui mortem consciuerunt; ſed testamenta eorum valere iufa ſunt. Male vero colligitur, illos omnino non notari, aut illorum confilia probari, quorum testamenta ſervabantur. Supra enim traditum eſt, militis, qui mortem ſine cauſa conciterit, valere testamentum, quamvis ignomina mittendus ceneretur. Igitur a ſervato testamento non ducitur argumentum ad impunitatem sceleris probandam. Deinde, ſi dicamus, datum illis veniam sceleris, qui iactationis, vel pudoris cauſa mori maluerint; illud non alia de cauſa factum eſſet, quam quia furoris quadam specie excufari viderentur illi, qui tantum facinus ex talibus cauſis perpetrarent, in quas nemo fanus incide-re

dere potuisse videretur. Ino vero faciat ut impunitatem omnino consequentur, qui scientes, & fani, tædio vitæ, aut pudore æris alieni vitam finire voluerint; nondum inde confectum est: probasse, & laudasse iureconsultos illud facinus, quod venia dignum censuerunt. Multa, ut esset locus experiendæ atque comprobandæ virtutis, ciuium pudori relata sunt: & illa officia in primis, quæ interdum in incerto versarentur, aut ad que nullo nos facto obligatorio obstrinxerimus. Illud supra a nobis disputatum est. D. Marcus rescriptit: eum heredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegerit, non recte facere: penam tamen in eum constitutam non esse. L. 14. s. 14. D. de relig. Et laudandus est, secundum VLFIANVM L. 1. s. 3. D. de pericul. & commod. rei vendit vendor, qui postquam denunciauit emptori, ut vinum tollat, vel sciat futurum esse, vt effundatur, tamen non effudit vinum, quod impune effundi potuisse. Nota ex Lex Cincia, cui non alia sanctio adiecta, præter hanc unam: qui fecus fecerit, illum improbe facturam. Causa igitur, ex imputitate laudem coniicias, aut existimes, illa continuo probari, quæ nulla pena ciuili coercentur.

§. VI.

Sed nondum *V. C. van BYNCKERSHOEK* quiescit. Ait enim, iureconsultos de sui ipsius cœde stoice philosophatos, illudque etiam *EVACIVM* ^{Quid Sto-} aliquando obseruasse: hinc trahi suspicionem, iureconsultos Stoicorum exemplo ^{Roma-} credidisse, quod illi moraliter mori liceat, cui viuere displicerit. Sed ne ^{neq; auto-} Stoicorum quidem disciplina, cui iureconsultos plerosque omnes operam dedisse ^{Xenias.} constat, in suspicionem adducent legum interpretes, vt illos faciisse hominibus inconsultis, qui mortem sibi consciuerant, arbitremur. Enimvero quamvis Stoici interdum sapienti licere crediderint, mortem eligere; tamen vel ignouerunt magis illi ignorantia, & temeritati, quam vt illam probasse videantur; vel certe plerique illorum in illo argumento fluctuarunt, & in lubrico versati sunt, incerti, quo se sint consilio expedituri. *SENECA* mirifice imbutus Stoicorum disciplina, modo potestatem hanc facit sapientibus, vt de vita sua ipsi consti-¹²⁻ tuant; modo ^{f)} viendum bono viro affirmat, non quamdiu inuat, sed quamdiu oportet: illum, qui non vxorem, non amicum, tanti putet, vt diutius in vita commoretur, quique perseveret mori, delicatum esse: nefas videri si quis sibi omnino mori cupiat: sed & si cœperit, illum tamen intermittere debere, & vitam suam suis commodare: omnes dolores animi obstinatione vinci posse, & cum primum maximi fuerint, illos vel remittere, vel desinere. Atque idem etiam alio loco: ^{g)} sapiens aliquando, inquit, etiam si certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non manus suas penæ commodabit. Venit qui occidit: exspecta; quid occupas? Quare suscipis alienæ crudelitatis procu-

I 8

f) SENECA ep. 104.

g) idem ep. 70.



rationem? Vtrum intides carnifici, an parcis? Idem denique rursus alibi: ^{b)} dementiam esse, si quis timore mortis cogatur ad mortem: virum fortem non debere fugere ex vita, sed exire, & ante omnia vitandum esse affectum, qui multos occuparit: *libidinem moriendi*. Ita SENECA philosophatus est. Sed MARCVS AVRELIVS ANTONIVS^{c)} huius philosophiae sapientissimus interpres, si constaret Deos non esse, aut rerum illos humanarum curam non gerere, tunc demum mori se malle, quam vivere: τί μοι ζῆν ἐν κόσμῳ κενῷ θεῶν, οὐ προνοίας νεών. Sed scire se, quod certe dii sint, illorumque prouidentia humanæ res administrentur. Vides igitur, ne inter stoicos quidem de illo argumento conuenisse, sed plerosque laudasse magis illos, qui vivere persevererent, atque obdurent in dolore. Sed largiamur, ita Stoicos sensisse; nec tamen hoc tibi idoneam caussam dederit iureconsultos criminandi. Nunquam iureconsulti sacramentum Stoicis dixerunt, quanquam ipsis obsecuti sint in multis. Non pauca etiam a reliquis sectis subinde commodarunt. Præterea non fuerit probabile ad fidem: solos nimirum iureconsultos προὶ αὐτοχειρεῖς benignius scripsisse, cum tanto populi Romani vniuersi, qui αὐτοχειρεῖς odio habebat, consensu vincerentur. In consilium adhibeamus DIC NEM CASSIVM, ita de populo Romano verba facientem: ^{d)} τὸς τῷ Δανάετῷ παναρροέντας ὡς ναὶ καλὸν ἔν τι ὑπὲρ αἰχματούσης τολμήσεων ὑποτεύεσθαι πάντες, ναὶ μεγστιν. Qui vitam suam proiiciunt, & tanquam ex infania magnam se rem tentare credunt, illos reliqui omnes suspectos, odioque habent; ut intelligatur de testatos fuisse Romanos illorum segnitiem, qui mori maluissent. Si Poëtas non contemnis, audiamus MARTIALEM de moribus populi tradentem: ^{e)}

*Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, saluus ut esse velis:
Pestore nec nudo stridulo incurris in enes;
Quod fecisse velim te, Decimane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui languine famam,
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.*

Sed idem etiam alio loco: ^{f)}

*Hocstem cum fugeret, se Fannius ipse peregit.
Hic rogo non furor est? ne moriari mori.*

Sed & ipsi iureconsulti L. 9. §. 7. D. de pecul. & alibi saepius SÆVITIAM appellant, si quis in corpus suum aliquid committat. Nemo sanus SÆVITIAM probabit. Quam qui iureconsultos probasse existimat, næ! illæ veteres alienos credit, ab omni ratione & officio humanitatis. Cuius rei accusationem nemo instruet ex legibus Romanis.

§. VII.

^{b)} idem ep. 24. ^{c)} M. A. ANTON. εἰς ἑαυτὸν lib. II. §. II. p. m. 23.
^{d)} DIO CASS. lib. XLVI. p. 353. ^{e)} Stephan. ^{f)} MARTIAL. lib. I. epig. 9. ^{g)} idem II. 80.



§. VII.

Accepisti, quid visum fuerit veteribus iureconsultis. Sed de ratione naturali videamus. Huic si obtemperes, obdurandum est in doloribus: nullus que locus dabitur temeritati inconsultæ, qua possis in tua viscera sœuire. In quam qui sponte prolapsus fuerit, illum, quemcunque demum necessitatis titulum obtendat, ansum esse facinus nefarium & execrandum iudicamus. Quæcentem durantur intelligantur, accipe breuiter rem totam:

I. Omnes, qui viuimus, ideo hunc spiritum, hos artus accepisse sciendum est, vt numinis infiniti amplificemus gloriam, & maiestatem celebremus, eius fines & mandata exsequiamur: deinde, vt vtilitatem communem, quantum in nobis est, promoueamus, & commoda societatis vniuersæ animo amico procuremus. Ad hæc officia nati sumus & editi, ad haec ab ipsa natura comparati.

II. Harum rerum tanta est grauitas, ac pondus, momentumque in illis tam arduum versatur, vt sola spes, vel *possibilitas*, quam Philosophi appellant, finis alicuius diuini exsequendi, det nobis idoneam exspectandi caussam: vt si quid positum sit in nostris viribus, quod vel *possit tantum* ad colenda illa officia accommodari, & si quid supersit nobis, quod vel *aliquando duntaxat*, etiam citra spem & exspectationem, vlo modo gloriae numinis ac voluntati *possit* inseruire, aut sociis prodeſſe; hoc solum fatis cauſæ sit, cur magno studio & contentione queramus occasionem rei pie & e societatis commodo gerendæ: vtque nullis doloribus, ne quidem maximis, nullis molestiis parcamus; sed eo omnem curam atque cogitationem conuertamus. Enimvero, cum etiam in rebus leuioribus, quæ tamen sint momenti alicuius, si *possint bona insignia sine magnis molestiis adquiri*, vel mala quædam sine magno incommodo caueri, *sola possibilitas*, quam dicunt, nobis officia imponat, quæ vel in agendo posita sunt, vel etiam in abstinentio; tanto certius cum de finib⁹ diuinis exsequendis agitur, vel *sola possibilitas* vtilitatis alicuius procurandæ, nos obstringet, vt viuamus.

III. Quapropter cum nunquam non, dum viuimus, & hunc spiritum ducebimus, supersit aliquid virium, quod *possit* ad illa officia referri, atque vel ad numinis gloriam, vel ad societatis vtilitatem accommodari; intelligitur, *nunquam fas esse homini viuenti, ut emigret e vita suo arbitrio*, aut festinet ad mortem obeundam, quam serius ipsi natura destinavit. Quod si enim omnia alia defieant, vel *hoc solum numinis gloriæ inseruit, quod viuat & existat* Dei creatura, & per longum temporis spatium, etiam in doloribus, & incommodis maximis perduret. Sed hoc vt fiat, semper est in nostra potestate, donec natura dissoluat corporis compagm.

IV.



IV. Vir *Cl. Andreas RIDIGERVS*ⁿ⁾ vbi de iure naturali disputat, ita de hac re philosophatur; „si vita nobis nihil tale meritis mox sit cum cruciatis, bus erienda, quæ interea neque nobis, neque aliis, vel minimum sit utilis „futura; fonte omnium virium cessante, cessare omnem obligationem: „(illam videlicet, quæ enascitur ex *lege naturali*: in qua secundum eius sententiam *so- la officia rega societatem tradenda sunt; cum officia erga deum in theologia naturali separatim pertractentur.)*

V. Sed in hoc argumento se a RIDIGERO Præses nullo non tempore sciunxit, abiitque in sententiam diuersam. Enimuero, ne illis quidem ignoscendum, qui cum iam *crucibus fixi sint*, & mortem præsentissimam intueantur, finueniunt media, & adhibent, quibus vita citius, quam postulat natura, finiatur: vt qui talia ansus sit, *inimicus etiam in societatem esse videatur*. In ipsa enim cruce poterit prodesse sociis vel solo exemplo moderationis, & obsequii, quo patitur sententiam iudicis, & optemperat voluntati imperantis; vt reliqui ad imitationem virtutis eiusdem euocentur.

VI. Sed faciamus, quod tamen nunquam largiemur, illos qui *crucibus fixi sint*, aliquando non posse *exemplo sociis prodesse*; at *nocere* tamen certe *exemplo* posset, qui vitam in cruce citius, quam natura postularat, finiisset: quod solum si omnia alia deficiant, satis causæ est, cur sibi temperet, dolores perferat, vitæ finem, *societatis causa*, patientius exspectet.

VII. Denique singamus: *ne exemplo quidem* illos *nocere* cuiquam posse, quod & ipsum credo nunquam accidet; cessante officio, quo societati obstrin-
gimur, *deo* tamen certe, qui gaudet, rem suam existere, & perdurare, *pietatem* & *patientiam* debebunt: vt intelligatur, ad quam vim sustinendam hoc corpus a creatore comparatum sit, aduersus quos impetus munitum, ad quos dolores perferendos accommodatum: quid effici possit animi imperio, constantia magnitudine in rebus aduersis? denique vt summo auctori orbis vniuersi placentius.

VIII. Videtur ipse RIDIGERVS, cuius tamen causam hoc in argumen-
to Præses nunquam suscepit, neque suscipiet omnino vñquam, agnoscere, quod,
quamvis nec nobis nec societati prodesse, adeoque ab officiis *erga hominum so- cietatem* absolui posse videamur; tamen *pietatis in deum* ratio postulet, vt manus infestas a nobis areeamus. Ille enim post verba, quæ supra recitata sunt, paucis interiectis, in non dissimili specie, ita fere pergit: „quod si vitam „sibi abrumpit, ille impius hoc ipso in Deum est, quod tantum bonum ingrato „animo respuat: in ipsam vero humanam societatem minime est iniurius.“ Sed certius existimamus, & supra a nobis demonstratum est, *non Deo duntixat*, sed etiam *societati*, vitam viresque nostras omnes ad omnem utilitatem, quæ vñquam excogitari possit procurandam omni tempore deberi.

Nun-

n) Instit. philos. pragmat. edit. Lips. d. A. 1723. Sect. II. P. II. c. 2. §. 165. p. 148.;



Nunquam igitur vel tædio vitæ, vel impatientia doloris, vel pudore aeris alieni, vel iactationis causa, vel temere, & sponte moraliter licet manus suo corpori inferre.

Hæc quamvis nota sint, & per decem fere annos a Præside in utraque Academia Saxonum tradita, eiusque præcepta multorum in manibus versentur; hoc tamen loco adducenda fuerunt ut in eis aliorum obtestationibus publica hac professione nostræ sententia anteuerteramus.

XIV.

DISSERTATIO

DE SERVITVTE ALTIUS TOLLENDI IN VSCAPIONE LIBERTATIS C O N S I S T E N T E.

VITEMBERGAE, PRID. ID. MART. MDCCLXXXIII.

§. I.

De iure altius tollendi verba facturus, in dolo eius ex cæterarum seruitutum natura, & historico huius juris progressu animaduerto facile declarari posse. Ideoque prænoscendum prius generale discrimen, quod a veteribus inter seruitutes rusticæ & urbanæ custoditum fuit. Omnis seruitus prædiorum consistit vel in solo vel in superficie *L. 3. de seruit.* Hinc quædam seruitutes dicuntur rustice, que solum afficiunt, quædam vero urbanæ, quarum usus est in superficie. Licet enim nonnulli existent, discrimen seruitutum urbanarum & rusticarum ex eo potissimum definiri debere, an seruitus debeatur prædio rustico, an urbano; vix tamen est, ut hæc nota pro certa haberi possit: siquidem constat, seruitutem urbanam, ut puta: ius altius tollendi, tametsi debeatur prædio rustico, manere nihilominus urbanam, & omnia, quae in seruitutibus urbanis urbano prædio debitibus obseruantur, pariter in illa obtinere. Rectius ita statuendum esse videtur: in antiquitate hoc solum accidisse, cum adhuc frugalitatis laude clarescerent Romani. Hi enim prædia rusticæ non nisi ad necessitatem agriculturae exstruebant, adeoque τὸ τελεσφέρον & principale eorum erat *solum;* *superficiei* vero in tantum ratio habebatur, in quantum ea rustico usui inferuiebat. Ille rusticæ ex villa prospectus amœbissimus habebatur, qui oculis offerret horrea, bouilia, vel alia conclauia instru-

Kafc. III.

K

men-



mentis agriculturae reserta. Quaedam etiam *urbanæ* seruitutes ita sunt comparatae, ut nonnisi in aedificiorum contigitate locum habeant, vt puta: oneris ferendi, tigni immittendi, & similia. Consequens ergo est, *urbanas* seruitutes olim perpetuo in praedii *urbani* utilitatem constitutas, rusticæ seruitutes vero in vrbe eo minus frequentes fuisse, quo minus eo tempore Romana gens amplis & spatiois domibus, sed potius casis humilibus sine ordine & splendore positis, vtebatur. Quippe ita potius aedificabant, vt cuique ad domum suam liber aditus, neque opus esset, cum in finem, vt postea accidit, a vicino iineris seruitutem stipulari *L. 20. f. 1. d. S. P. V.* Temporibus vero posterioribus haec omnia inuertebantur, cum scilicet luxuria urbem ingrederetur, & villæ non agri colendi gratia, sed voluptati vt inseruirent, aedificarentur. Hinc non minori cura superficies quam solum instruebatur. *PLINIVS IVNIOR*, homo caeteroquin frugalis, & quam minime delicatus, Laurentinum suum in tam varias porticus, balnea & baptisteria diuisum memorat in *Lib. 2. epist. 17.* vt eo nomine haud immerito sub censuram *VARRONIS de re rustica l. 13.* venire videatur, eos reprehendentis, „qui diligentiam sicut in villa aedificanda eo „potius dirigunt, vt spectent sua aestiuæ triclinaria, ad frigus orientis, hiberna „ad solem occidentem, quam vt antiqui, in quam partem cella vinaria, aut „olearia, fenestras haberet. „ Idem accidit *rusticis* seruitutibus. Adeo enim ab antiqua severitate recedebant Romani, vt aqua, quae olim ad irrigandum, vel pecoris, cauſa, ducebatur, nunc etiam amoenitatis cauſa in praedia urbana duci posset. *L. 1. f. 11. L. 3. pr. d. ag. cottid. & aestiu.* Magis ergo est, vt seruitus *rustica*, praedio licet urbano debita, maneat nihilominus *rustica*, dummodo ea in solo exerceatur, & e contrario urbana seruitus, licet ad rusticum praedium pertineat, *urbanarum* seruitutum numero & iure nequaquam excidat. Nec mouet, quod seruitutes praedio rusticō debitae, licet *superficiem* afficiant, nominentur a *Neratio* in *L. 2. d. S. P. R. rusticæ*; Icti enim nomen antiquum & morem nominandi seruitutes a praediis retinentes, nihil in vera earum natura mutauerunt. Ideoque sine discrimine seruitus *urbana*, siue debeatur praedio rusticō, siue urbano, solo nonius haud perit, nisi simul a seruiente libertas usitcipiatur *L. 7. d. S. P. V.* Subtiliter hoc animaduerit *corypætus* legum prudentum *VLPIANVS* in *L. 1. pr. comm. præd. scribens:* seruitutes *urbanorum* praediiorum constitui posse, etiamsi in villa aedificia sint.

*Naturalis
urbanarum
seruiturum
ordo & se-
gula.*

Dixi haec tenus de generali discriminē seruitutum rusticarum atque *urbanarum*. Specialiter nunc de earthi natura & ordine naturali erit agendum. Agrediamur primo *urbanas*. Illud haud in obscuro esse arbitror, ab omni seruitute libertatem circumscribi. Libertas vero vel prouenit ex iure naturali, vel ciuili. Qua propter *naturali* more prium seruitutum genus id fuit, quod

p. 2-

naturali aduersatur libertati: belle hoc vidit **SEXTVS PEDIUS**, iudice **VLPIANO** in **L. 5. §. 9. d. nou. op. nunc.** qui ideo naturalem noui operis nun-
ciationis causam eam nominat, cum prohibemus in aedes nostras immittentem,
vel aedificantem in nostro, quia nimurum *naturalem* per eam defendimus li-
bertatem. Dupliciter vero se exerit naturalis domini libertas in superficie. Vel
enim ipse in aedificio suo infinite quid *facere* potest, etiamsi vicino officiat; vel
vicinum *prohibere*, ne quid immitat, vel faciat, in aedibus alienis, contra jus
domino a natura concessum. Ad hanc itaque licentiam coercendam, stipulabat-
ur vicinus dupliciter: vel, ne seruiens quid faciat in suo, quod ipsi communi
iure permittebatur, vel, ne prohibeat vicinus seruiens dominantem immittere,
& aedificare, in aedibus seruientis. Ita circumscripta est vtraque libertas. In-
de satis probabile videtur, seruitutes, ne altius tollatur aedificium, ne lumini-
bus officiatur, ut stlicidium recipiatur, ut tignum immitatur, & similes prius
utitas, eas vero tempore & moribus longe posteriores fuisse, quae sunt *liber-
tatis naturalis*, & postea utiliter seruitutum nomine insignitae fuerunt. Qua
vero ratione hoc acciderit, age videamus.

§. III.

Nimirum constat exemplo rerum immobilium introductam fuisse *usuca-
pionem*, ita, vt satis breui tempore, biennio scilicet, seruitutes acquirerentur. **Qua ratio-
ne libertas
naturalis
ante legem
Scriboniam
in seruitutis
nomen tran-
sierit.**
Hoc iniquum videbatur ICtis, quod tam breui temporis spatio libertatis natura-
lis iacturam sacerent Quirites. Sed quomodo consulerent? Per solum non usum
ideo perire non poterant, quia usus finitur facto hominis, urbanae vero seruitu-
tes consistunt potius in non faciendo, & sufficit adesse opus humanis manibus *nomen tran-
factum*, quo mediante dominans ius suum exercet, licet ipse perpetuo haud con-
currat. Aliam ergo excogitabant seruitutum formam. Ad seruitutem scilicet
satis esse credebant, si ius seruientis diminueretur, alterius vero augeretur **L. 5.
§. 9. d. nou. op. nunc.** & quia hoc pariter fieri videbant, in libertate naturali
per usucaptionem amissa, recipienda; hanc ipsam seruitutis nomine includebant,
ne veterem usucaptionis, quae tantum ad seruitutes pertinebat, formam innouare
viderentur. Finge itaque acquisuisse vicinum seruitutem, ne altius tollantur
aedes: amissa est eo nomine libertas naturalis. Si vero per statutum tempus
altius aedificatum habueris; recuperata est *libertas naturalis*; & erit *seruitus
altius tollendi*. Et quia hae duae seruitutum species sibi iouiem oppositae,
commodè uno vocabulo exprimi nequeunt, patet hinc ratio locutionis: *seruitus
altius tollendi* vel *non*: in **L. 2. d. S. P V.** Pari modo caeterae seruitutes
urbanae sunt explicandae. Quamuis enim in quibusdam explicite non fiat men-
tio libertatis naturalis sub titulo seruitutis; male tamen exinde colligi videtur,
quasi non idem in illis obtinuisset. Nonnunquam enim sola memoratur serui-
tus: ne licent altius tollere; quae tamen eodem casu in se continet tacite con-
tra.

trariam seruitutem, scilicet *ut liceat altius tollere.* Extat huiusmodi species in *I. 4. §. 8. si seru. vind.* Dicitur ibi seruitutem: ne altius tollatur, ei etiam deberi posse, qui vltiores habet aedes; quis vero negaret, ibi sub hac seruitute etiam contraria comprehendendi? Hoc inconsulti, credo, foret iudicij. Ergo dici potest seruitus tigni immittendi, vel non; oneris ferendi, vel non: absque lapsus metu, & laesione verecundiae veteribus debitae.

§. IV.

Luminum Paulo difficilior erit opinioñis huius applicatio ad *luminum* seruitutem.
seruitus ex Communiter interpretes hic duplicem statuunt seruitutem: *luminum* scilicet,
hypothesi & *ne luminibus officiatur.* Ea in re vtuntur verbis *PAVLI* in *I. 4. d. S.*
p̄cedens *P. V.* qui vtramque formulam sciungit. „*Luminum* enim inquit, serui-
sphi decla- „tute constituta, id acquisitum censetur, ut aduersarius lumina nostra exci-
rata. „piat. Cum autem seruitus imponitur, *ne luminibus officiatur*, id adepti
„videmur, ne ius sit vicino, altius ædificare inuitis nobis, atque ita minue-
„re lumina nostrorum ædificiorum.. Si quæris, quid sit in hac lege lumina
„nostra excipere, ablegant te ad eundem *PAVLVM* in *I. 40. d. S. P. V.*
„qui ita respondit: „eos, qui ius luminis immittendi non habuerunt, aperto
„pariete communi nullo iure fenestras immisisse.. Ex quibus verbis coni-
„ciunt, *luminum* seruitutem simpliciter, diuersam esse ab hac: *ne luminibus officiatur*, & per illam licentiam fieri dominant, fenestras in vicini
„parietem immittendi. Sed salua res est: quandoquidem rectius hanc sen-
„tentiam oppugnauit vir celeberrimus *GERARDVS NOODT. POMPO-*
NIVS enim in *I. 23. d. S. P. V.* eandem esse putauit *luminum* seruitutem,
& *ne luminibus officiatur*, siquidem in vtraque formula: *lumina, uti nunc sunt,*
vt ita sint, &, *ne luminibus officiatur*, id adepti videmur, ne vicinus lumini-
„bus nostris officiat. Sub generali potius vocabulo *luminum* comprehen-
„ditur duplex seruitus affirmativa & negativa: *seruitus* & *libertas* a seruitute.
Vt puta: seruitus *luminibus officiendi*, vel non, quemadmodum hoc du-
plex seruitutis genus pari modo continetur in seruitute altius tollendi vel
non *I. 2. d. S. P. V.* Hoc si cogites, iam non obstat *PAVLVS* in antea
citata *I. 4. d. S. P. V.* Nam verba eius, ut vicinus lumina nostra excipiat,
commode ita accipi possunt, ne contra ædificando vicinus lumina nostra
quacunque ratione impedit, quemadmodum idem similem stillicidii for-
mulam interpretatur in *I. 20. §. 3. d. S. P. V.* Forsan *PAVLVS* tra-
dere voluit diuersas formulas Romanorum ædificiis inscribi solitas, quæ
alibi saepius leguntur: *lumina uti nunc sunt, ut ita sint, Et, ne luminibus officiatur.* Neque mens eius fuit, ut duplice faciat seruitutem *luminum*,
& *ne luminibus officiatur*: siquidem, ut antea dictum est, per vtramque for-
mulam id obtinebimus, *ne luminibus officiatur.* Sed tantum formulæ, *ne*
lumi-

luminibus officiatur, specialiorem esse significationem, & plerumque de seruitute, ne altius tollatur, accipi debere; priorem vero formulam, si luminum seritus simpliciter constituantur, ampliorem recipere interpretationem, ut de quocunque luminis impedimento accipiatur. *I. 15. ff. 8. d. S. P. V.* Siue ponatur arbor *I. 17. pr. d. S. P. V.* Siue deprimatur aedificium, ne lumen *κατὰ οὐτανδεῖον* in aedes alterius denoui possit *I. 17. ff. 2. d. S. P. V.* Ergo nihil impedit, quo minus haec quoque seritus eodem cum ceteris urbanis iure censeri possit.

§. V.

Referendæ nunc veniunt ea seruitutes, quæ solo inhærent, & inde *De seruitutibus rusticis, & cur in iis non denatur seruitutes negantur.* rusticæ appellantur. Harum usus perpetuo postulat factum hominis. Quemadmodum itaque libertas naturalis, quae in solo exercetur, & vicino damno-fa est, in eo potissimum consistit, ut prohibeamus alterum ne in solo nostro quid faciat, quod tollat libertatem naturalem; ita simplex quoque seruitutum rusticarum genus fuit, quo scilicet, seruiens dominanti concedit, in ipsius solo aliquid facere, quod leuat necessitatem, & auget commodum praedii dominantis. Pater inde, hoc nomine minime necessariam fuisse inductionem *libertatis*, sub seruitutis specie: siquidem harum seruitutum natura patitur, ut solo nonusu perire possint. Cessante enim facto dominantis cessat ipsa seritus, quae facto hominis absolvitur *I. 6. quemadmodum seruit. amitt.* & hac ratione non opus fuit libertatis usucapione. Hic quidem *aquaeductus* seruitutem mihi obiici posse sentio; quae, quamvis in ea hominis opera perpetuo minime necessaria sit, tamen inter rusticas seruitutes connumeratur. Sed hodie plane alia est facies huius seruitutis, quam quae fuit antiquis temporibus. Vix credibile est, Romanos, primordio urbis tam magnificis aquaeductibus usos esse, vt posteritas umbram & reliquias horum operum propemodum horreat. Aqua ab initio ducebatur per riuos ad agrum irrigandum & hauriendum. Huiusmodi vero aquam non per totum annum duci, sed interdum expedire, ut intermittatur, constat ex *I. 1. ff. 2. 3. d. aqua cotid. & aestiu.* Hinc, quia haec seritus non solum in solo exercebatur, sed & ratione usus discontinua erat, siquidem dominans interdum cessefare necesse habebat, quae duae tamen res rusticam faciunt seruitutem; magis placuit, aquaeductum esse rusticam seruitutem. Posteaquam vero inualuit, ut aqua amoenitatis causa in praedia urbana duceretur *I. 1. ff. u. d. aqua cotid. & aestiu.* opus manu factum, & perpetuum adhibitum est; quo facto dubiam induit haec seritus naturam, & quae proprius accedit ad urbanæ seruitutis definitionem.



§. VI.

Lex Scribonia. Hoc ius usquaque ad TIBERII tempora, sub quo consul fuit L. SCRIBONIUS LIBO, viguisse videtur. Hic enim libertatem in seruitutis conditionem adoptatam a CICERO, remouit rursus, & lata *lege SCRIBONIA* vetus discrimen reduxit inter seruitutem & libertatem a servitute; ita ut libertatem simpliciter usucapere permetteret, ea usucapione, quae seruitutem constituebat, penitus abrogata. Ita rem refert Paulus in *b. 4. §. 29. D. d. usurp. & usuc.*

§. VII.

Ratio legis Scriboniae. Quae ratio mouerit auctorem legis Scriboniae, latet adhuc eruditos. Abscondidit eam simul historiae defectus, & auctorum impedit silentium, quo minus ea tuto definiri queat. De tempore & auctore huius legis dudum se probauit conjectura RAEVARDI ad legem Scriboniam cap. 1. fuisse eum L. Scribonium Libonem, qui sub Tiberio cum Sisenna Statilio Tauro consulatum gescit. Fuit hic patricius adolescens turbidi ingenii, quemadmodum ex Dione obseruauit RAEVARDVS ad L. Scribon. cap. 1. & curatus de eo differit TACIT. Ann. II. 27. 28. 29. 30. 31. 32. qui tandem perfidia Firmii Cati, quasi res nouas moliretur, delatus, sibi ipsi ante condemnationem mortem consciuit. Viuebat eo tempore, quo celeberrimae patriciorum gentes, quae

— — — stantes in curribus Aemilianor.
Et Curios iam dimidior, nafisque minorem
Coruini, & Galbam auriculis nafisque carentem

in atriis suis ostentabant, & adulacione erga principem adeo inebriatae erant, ut nihil respicientes ad priscam auorum virtutem, leges sanctosque mores ad principis libidinem infesterent. In horum incommodum tulit forsan LIBO legem Scriboniam qua, acquisitione seruitutis per usum inhibita, e contrario firmauit libertatis tempore in legibus statuto capionem. Potentiores enim, quorum dominibus, in urbium modum exaedificatis, adiacebant plerumque pauperiorum aediculae (quas alio quoque nomine insulas vocare solebant: GRAEV. in praefat. T. IV. thesaur. antiquit.) facilius poterant usuare seruitutem, ne altius tollatur, & luminibus corum officiatur. Hoc prohibebat LIBO, & libertati fauebat, quam temporis vnu recuperare permettebat. An ad solas seruitutes urbanas pertinuerit, lex Scribonia, quae situm fuit inter interpretes. CVIACIVS ita censuit, quoniam in lege Scribonia mentio fiat libertatis naturalis, cuius tamen usucapio in solis urbanis seruitutibus locum habeat. Sed huius sententiae rationes inuestigarunt iam ali vid. V. C. CONRADI in notis ad Raeuard. L. Scribon. cap. 6. Hoc unicum addere liceat, supra a me dictis consequens esse,

QCCA-

occasione legi ferendae praebuisse seruitutes urbanas; quamvis, quo minus illa, quod ad seruitutis per usum constitutionem attinet, pariter in rusticis obtinuerit, nihil impedire videatur.

§. VIII.

Post legem Scriboniam, vario colore, minuendarum litium gratia, rediit seruitutum usucapio. Eum in finem a Praetore actionem propositam esse, omnes, quos ego quidem noui, interpretes, extra omnem dubitationem positum esse existimant. Datur haec actio illi, qui forte tot annos nec vi, nec clam, nec precario usus est seruiture aquae ducenda, teste *VLPIANO l. 10. d. si seru. vind.* In verbis quidem huius legis diserte non proditus est *praetor* huius actionis auctor; sed ita interpretibus visum est. Cum enim haec lex sit *de iuris publicis* ex *VLPIANI lib. 53. ad edictum*, trahunt & in quo ille interpretatus est titulum edicti *de aqua & aquae pluviae arcendationes condæ actione*; hinc non leuis videbatur coniectura, id, quod praetorem de aqua edixisse, titulus prae se fert, esse hanc ipsam actionem. Accedit, quod & *VLPIANVS in l. 1. s. vlt. d. aq. & aq. pluv. arcend.* temere meminiisse usucaptionis seruitutum censeri potest, ni forsitan *d. l. 10. si seru. vind.* cohaeserit, cum antea citata *l. 1. s. vlt. d. aq. & aq. pluv.* Magis quoque est, quod *VLPIANVS in l. 1. s. vlt. d. S. P. R.* concise quidem, sed sat probabiliter seruitutis usucaptionem commemorasse videatur, scribens: traditio plane & patientia inducit officium *praetoris*. Eadem fere sunt, quae habentur in *l. 11. s. 1. d. public. in rem act.* Vnde vix dubites, *praetoris* officio deberi reductam seruitutis usucaptionem.

§. IX.

Enimuero, quo minus placeat haec opinio, varia in contrarium movent argumenta haud improbabilia. Non enim ICtos, primos auctores & *tor viderur iudicium possessorium*, perpetuos seruitutum efformatores, hoc negotium tam facile deseruisse credendum est. Nec aliud persuadent verba *VLPIANI in l. 1. s. vlt. d. aq. introduxit. & aq. pluv. arc. aientis: sane & in ceteris seruitutibus idem sequimur &c.* scilicet, quod hic de aquae pluviae arcendae actione a nobis i. e. ICtis traditum est, idem sequimur in ceteris seruitutibus. Nec nos mouent leges ab aduersariis allegatae. Videndum nim primo, num in iis, in quibus patientiam seruitutum praetoris officium subsequi dicitur paulo strictius intelligatur istud praetoris officium, quod in actionibus *petitoris* concedendis occupatur. Patientia, si vel maxime eam a traditione sciunteris, exemplo *l. 11. d. public. in rem. act. & l. 1. s. vlt. d. S. R. P.* efficit etiam ius possessionis, ideoque interdicta veluti possessoria constituta sunt, quod ait *Iauolenus in l. vlt. d. seruit. & in his ratione praetoris munus accipi potest,* ita,



ita, ut minus recte inde conosciatur, a praetore introductam esse actionem de seruitute vsucapienda. Nec felicius ad partes vocatur **VLPIANVS** in l. n. §. 1. d. publ. act. differens ibi de actione Publiciana, quae competit de re nondum vsucapta. Ea vero actio, de qua nobis sermo est, plane est alia, quippe quae nascitur demum ex adimplera vsucapione. De hac nimur, num proficiscatur a *prætore*, quaeritur: non vero de Publiciana, de qua merito dubitare non licet. Neque **VLPIANVS** aliquem confundat, qui l. 10. si seru. vind. actionem de seruitute vsucapta explicauit; quamuis enim haec particula ex Vlpiani lib. 53. ad edictum praetoris de aqua & aqua pluia arcenda decerpta sit; non tamen ausim affirmare, praetorem de aqua per usum acquirenda ibi edixisse. Id enim, quod praetor de aqua in isto titulo proposuit, refert l. 4. C. de seruit. Aquam scilicet, in alieno loco ortam, sine voluntate eius, ad quem aquae istius usus pertinet, duci non posse. Nihil exstat de seruitutis vsucapione. In huius rei interpretatione torus est **VLPIANVS** in l. 8. 10. eod. & **PAVLVS** in l. 9. eod. Cur vero Vlpianus in l. 1. §. vlt. d. ag. & ag. pluu. arc. (cum qua lege procul dubio connexa fuit l. 10. si seru. vind.) memoret seruitutum vsucaptionem, huius rei ratio paulo curiosius erit inquirenda.

§. X.

Cur Vlpia- **VLPIANVM** in l. 1. §. vlt. d. ag. & ag. pluu. arc. conferre quasi *nus in titulo seruitutem*, quam in actione aquae pluiae arcendae fingebat ICti, cum edicti de usucapione seruitutum manifestum est. Actio aquae pluiae arcendae competebat, quoties aqua pluiae opere manu facta a vicino ita dirigebatur, ut dampnum inde metuendum esset l. 1. §. 1. h. t. Ergo cessabat, si aqua pluiae actione simul quasi a natura in alterius agrum deriuabatur, puta si inferior esset; hanc tractauerit enim a natura seruitutem videri impositam, ut agro superiori inferior seruitutum uret. Haec seruitus ex qualitate praedii naturali descendens vocabatur *quasi usucapio-* seruitus l. 1. §. vlt. h. t. (quam quasi seruitutem significare seruitutem per usum acquisitam minus recte censere videtur V. C. CONRADI in notis ad Raeuard. leg. Scribon. cap. 5. (i). Hoc **VLPIANVS** ita quoque in ceteris, iisque veris, seruitutibus obtinere dicit, si lex praedio non sit dicta, quemadmodum antea hoc de agro afferit, ut, ubi lex non inueniatur, aggerum modum in agris muniendorum definiens, veteritas vicem legis teneat. Non immerito Vlpiano haec ratio opportuna videbatur, ut simul hoc loco tractatum de seruitutibus per usum acquirendis susciperet, quia & hae interdum a veteritate imponuntur. Animaduersum fuit a viris doctis, Tribonianum subinde suae promissionis oblitum edicti perpetui seriem nonnunquam deseruisse; sed non adeo graui laborat culpa bonus vir, quam commisisse non minus grauiter, quam verisimiliter incusat; siquidem



dem non raro VLPIANI praeceas consuetudini ipsi parendum fuit, qui arrepto
leui colore ab iis materiis, quæ in quoque titulo propositæ fuerunt, ad alios iu-
ris tractatus digrediebatur, quamvis etiam in corrigenda hac VLPIANI na-
non deinceps occupatur, peioris saepe erroris culpæ succubuerit. En exemplum.

§. XI.

Prætorem de magistratibus municipalibus egisse sub initium edicti, inde *Exemplum certum* est, quia HERMOGENIANVS, qui in L. 2. D. d. stat. hom. edicti *digressionis* perpetui seriem se secuturum professus est, tractauit hunc iuris articulum in L. 1. ab VLPIA-
epitomarum. Id cognoscitur ex rubro L. 16. 23. 25. D. ad municip. VLPIA-^{ne factae.}
NVM quoque in prima commentarii sui parte eos non plane omisisse, docet in-
scriptio L. 26. 30. D. ad municip. edictum contra de damno infecto interpreta-
tus est VLPIANVS in lib. 53. si ex rubro L. 7. 9. 13. 15. d. damn. inf. iudi-
camus. Nihilo tamen secius TRIBONIANVS particulam ex lib. 1. VLPIANI,
vbi de magistratibus municipalibus actum fuerat, contulit in titulum digestorum,
vbi edictum de damno infecto interpretatur. Nec ideo ^{a)} inique fecisse TRI-
BONIANVM putandum est. Quamvis enim in d. L. 4. d. damn. inf. aliquoties mentio fiat magistratum municipalium, VLPIANVS tamen eorum non
meminit, quasi de iis acturus. Ex tota enim disputatione L. 4. appetat, VLP-
PIA-

- ^{a)} Alio tamen loco hæc correctio male cecidit TRIBONIANO. Scilicet, si queris
edictum prætoris de iis, qui cautioni in iudicio sistendi causa factæ non obtem-
perauerunt, hoc minus in opportuno loco positum deprehendetur. Quia enim
ex hoc edicto nonnunquam in bona contumacium ibatur, inferuit illud TRIBO-
NIANVS generali titulo, quem in conceptione digestorum sive effinxit, quasi is
etiam antea in edicto perpetuo extulisset, sive non intellexit titulum; qui tracta-
uit potius id, quod vitium est in iudicio non per contumaciam abrupto, sed
per ordinarias iuris ambages traducto & finito, executionem scilicet: demonstrat
hoc L. 2. D. quib. ex cauſ. in posſ. eat. Ex ipsis edicti verbis extantibus in
dicta L. 2. appetat, illud magis conuenire titulo: si quis cautionibus &c. Nec
repugnat VLPIANI liber, ex quo hæc lex a TRIBONIANO decerpta est,
liber scilicet quintus ad edictum. Hoc enim libro comprehendisse VLPIANVM
materia incautionum in iudicio factarum satis forte evincetur ex titulo L. 2. qui
saris d. cog. Sed ita tractauit eam, quemadmodum iam in similis specie notaui-
mus, ut breuiter & quasi aliud agens transcurseret, si diuinare licet ex reliquiis
L. 2. quib. ex cauſ. in posſ. eat. Eo futilius tamen eam prosecutus est in libro,
in quo de exceptionibus ipsi agendum fuit, si conferatur L. 2. 4. si quis caut.
eandem cum L. 2. d. except. in VLPIANI commentario sedem agnoscentes. Fa-
cile hoc argumento moueri potuit VLPIANVS, quoniam illi, qui iusta ex causa
vadimonium deteruit, puta ob transactum negotium vel impedimentum a tem-
pestate & valetudine factum, prætor exceptionem daret. L. 2. pr. §. 3. si quis
caut. hinc non incommodum fore creditit, de ea re eo loco agere, vbi de exce-
ptionibus agendum.

Fasc. III.

L.



PIANVM ibi data opera de^e damno infecto tractauisse, & in transitu tantum iniecisse magistratum municipalium mentionem, quamvis de his illo libro, suadente ordine edicti perpetui, agendum esset ex instituto. Eam forte **VLPIANVS** rationem sufficere credidit, quam recenset in *L. i. d. damn. inf.* Nimirum quia prae*t*or officium suum de damno infecto ob celeritatem in ea re necessariam magistratibus municipalibus demandare solet; hinc sibi quoque licere credit, eo loco, quo de magistratibus municipalibus tradebat, quædam de damno infecto commentari.

§. XII.

Ergo hæc Ex dictis apparet, **VLPIANVM**, vbi in rem quamlibet, per occasionem *actio de ser-* edicti, quod tractat, incidit, liberius vagari: nec tenaciter inhærere instituto; *virutum rsn.* sed faciliorem esse in connectendis argumentis. Idem credo ipsi accidit in *L. i.* *cupione non* *ex edicto* *ſſ. vlt. d. aq. & aq. pluu. arc.* quam tractamus. Certe verba illa: *in cæte-* *prætoris ſed riſ feruitutibus idem ſequimur &c.* manifeste argunt, ipsum digredi a priori *ICTorum in* *geniis de-* *ſeendit.* *instituto.* Cum itaque tractaret de quasi feruitute in actione aquæ pluviæ ar- cendæ obueniente, & eam tempore & vetustate acquiri animaduerteret, perop- portunum ipsi videbatur, eodem loco verarum feruitutum vſu capione proponere. Itaque falluntur, qui exinde, quod actio de feruitutum vſu capione in **VLPIANI** libris ad edictum continetur, arguunt, eam ex prætoris edicto ori- genem trahere. Magis est, vt credas hanc ab **VLPIANO** per occasionem lo- co non congruo tractatam esse. Vſus enim est **VLPIANVS** in commentariis suis arbitrario ordine, & cœptam tractationem, velut antea vidimus, alienis, ad eum locum non pertinentibus, materiis interpungere solitus est. Videntur potius **ICTi**, qui iura feruitutum ex suo iporum ingenio formabant, hac etiam parte, in redicenda feruitutum vſu capione, officium suum absoluuisse.

§. XIII.

De iure al- Itaque postquam **ICTis** gloriam redūctæ vſu capionis vindicanimus, restat *lius tollendi* ut videamus, qua ratione, post legem **SCRIBONIAM** desuetudine abolitam, *post legem* *ius altius tollendi* accipendum. Scilicet euenire poterat, vt quis per publicam *Scriboniam.* legem tectum altius tollendi licentiam haberet, sed prohiberetur a vicino, qui longa constitutio*n* ius, ne altius tollatur, quæsierat. In hac specie præcipue versabatur priuatum emolumentum, cui vicinus sicut in cæteris rebus renuncia- re, & consequenter alter etiam consensu vicini expresso *ius altius tollendi* ac- quirere poterat, neque publicis edictis eo nomine officere necesse habebat. Ea erat *feruitus altius tollendi*. Non enim cum iis faciendum, qui ius altius tollendi esse statuunt, si altitudinem lege publica introductam propter consensum vicini ædificando superare liceat. Scilicet oblii sunt, quod docuit eos **A-** **PINIANVS** in *L. 38. d. paſt.* ius publicum stipulationibus priuatorum immu- tari



tari non posse. Imo, quamuis forte huic dubio ita occurrant, edita principum de ædium altitudine externo intuitu publica fuisse, internam vero eorum intentionem in priuatorum utilitate demum desisse; hoc tamen nullo respectu verum esse arbitror, nisi forte eo, quo illæ etiam leges, quibus per priuatorum stipulationes contraueniri posse negatur, ad singulorum rem pertinere existimandæ sunt. Omnes, qui citantur rei Romanæ auctores, & de ædium altitudine per principes coercita prodiderunt, addunt, hoc ideo factum esse, ut ruinarum facilitati & frequentiæ occurratur. (De qua varia prostant antiquitatis testimonia vid. *Iuuenal. satyr.* III. v. 7. 8.). Ita de Augusto testatur STRABO Geogr. V. & de Traiano AVRELIVS VICTOR. Sed, ne vrbs ruinis deformetur, publice interest L. 2. §. 14. ne quid in loc. publ. Eiusmodi autem species juris altius tollendi, quemadmodum id paullo ante declarauimus, ne quis nimirum statum ædificiorum antiquum & consuetudinem in ædificando seruatam, transgrediatur comprehenditur in L. 1. C. d. seruit. „Si quas actiones „aduersus eum, qui ædificium contra veterem formam extruxit, vt lumini- „bus tuis officeret, competere tibi existimas, more solito per iudicem exerce- „re non prohiberis; is, qui iudex erit, longi temporis consuetudinem vicem „seruitutis obtainere sciet.“ Manifestum est veterem formam in hac lege vocari consuetudinem, quemadmodum ius aquæ ducendæ per consuetudinem ordinatum dicitur *forma & mos solemnis aquæ* in L. 7. C. d. seruit. Eodem sensu *veterem formam* intellexit TACITVS ann. XV. 43. formam scilicet ædificiorum, prout stant, more perpetuo continuatam. Nec aliter VLPIANVM explicandum esse obseruabis in L. 11. d. S. P. V. Infeliciter ergo RAEVARDVS Coniectam III. 12. in L. 1. C. d. seruit. quærerit formam lege publica introductam. Hæc enim sententia non congruit verbis: is, qui iudex eris longi temporis consuetudinem vicem seruitutis obtainere sciet. Velut ipse alibi ad leg. Scribon. cap. 5. hæc verba de seruitutum usucapione capienda esse recte arbitratur. Ab iisdem IMP. SEVERO & ANTONINO auctoribus L. 1. C. d. seruit. hæc *forma* vocatur *modus* in ædificando usitatus L. 1. C. d. ædif. priuat. Denique hanc formam veterem stabiluit ZENO in L. 12. C. d. ædif. priuat. quam constitutionem de seruitutibus egisse expresse testatur IVSTINIANVS in L. 13. C. eod.

§. XIV.

Hæc de iure altius tollendi. In reliquis seruitutibus urbanis nihil superest dubii, excepta seruitute STILLICIDII, in cuius explicatione adhuc scrupulus tenet; extat enim probabilis, vt videtur, quorundam opinio, qui sibi præ reliquis hoc nomine sapuisse videntur. Præcipuus eorum est THOMAS in dissert. d. seruit. stillicid. §. 40. Videbant scilicet, contra eorum sententiam, qui ciuitatis statutum prius ponunt, non sine ratione moueri posse;

L 2

quod

De serui-
tute stillici-
di.



quod huiusmodi forma stillicidiorum per legem publicam stabilita in Romanis scriptoribus omnino non extaret. Mutabant igitur personam seruientis atque dominantis, in seruitute stillicidii non recipiendi, quasi scilicet is, qui stillicidium non recipit, seruiret, contra vero, is, qui recipit, haberet ius dominantis. Hoc non inutiliter fieri existimant quibusdam in locis, vbi aquæ penuria, ita ut dominans stillicidium, quod ordinarie in vicini ædes profundit, iure excipere atque proprio usui adhibere posset. Sed haec sententia contra iuris rationes videtur excoxitata. Dedit forsitan ita cogitandi materiam formula, qua appellatur seruitus *stillicidium auertendi: vel non in L. 2. d. S. P. V.* quasi in seruitute stillicidii non auertendi is, qui non auertit, dominari, & ex eo, quod non auertat, usui proprio consulere intendat. Non credidissent hoc Viri Dodissimi, si perpendissent, in iure seruitutem, in qua alterutrius tantum, dominantis scilicet vel seruientis officium memoratur, intelligi nihil minus ins tam a parte dominantis, quam seruientis. Patet illud exemplo seruitutis, ne altius tollatur. Quamuis enim solum hic officium seruientis exprimatur, utique haec dici potest seruitus, non, quod is, qui altius non tollit, habet ius dominantis, sed quia debet hoc vicino dominanti. Contra vero ICtis Romanis quoque solenne fuit, solum referre ius dominantis, ut inde indicetur de officio seruientis, puta seruitus altius tollendi, non quasi is, qui altius tollit, seruitutem deberet. Ex his ergo formulis, plane non est seruitutis cuiusque natura definienda. In seruitute stillicidii *auertendi vel non auertendi* potius eadem, qua in cæteris urbanis seruitutibus, ratione procedendum, quippe quæ inter illas referri solita, communi cum iis explicatione frui debet, ita ut in seruitute stillicidii auertendi referatur ius dominantis, cui licet auertere in aream vicini. In seruitute vero stillicidii non auertendi recenseatur officium seruientis dominans vero intelligatur is, qui habet libertatem a seruitute stillicidii auertendi: & non obstat, quod ius stillicidii auertendi dicatur quoque seruitus stillicidii auertendi.

§. XV.

P A V L U S Paulo diligentiore indagatione digna sunt tria ista, quibus **P A V L U S** in *L. 2. pr. d. L. 2. pr. d. aq. & aq. plu. arc.* omnem locorum inferiorum seruitutem superstruit, quorum explicatio ideo hoc pertinere videtur, quoniam ICti eadem *plu. arc. ex. plicatus.* in veris seruitutibus secuti sunt, in primis quod ad vetustatem attinet, quæ in omnibus seruitutibus vicem legis tenere dicitur. Haec autem tria, per quæ locus inferior superiori seruit, sunt *lex, natura loci, & vetuslas.* Videndum ergo, quid veteres per singula hacce significasse putandi sint. Primo, quid illis fuerit *natura*, considerandum. Hanc ii. quorum mens in pernoscendis rerum causis supra vulgus eminere volebat, pro Deo, & Deum in illa colebant. **SENECA de benefic.** IV. 7. „Natura, inquis, haec mihi præstat: non intelligis, te, cum hoc dicas, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natu-

,ra,

,,ra, quam Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta?,, Hæc natura cuilibet rei formam manentem indidisse dicitur & sub nomine **IANUS** Diis annumerabatur teste **ovidio fastor. I.**

Tunc ego, qui fueram globus, & sine imagine moles,
In fatiem redit membraque digna Deo.

Per eam ergo agri dispositi, montes eresti, & valles subsidere iussæ sunt. **VARRON** ipse, cuius inter veteres excellentissimum erat iudicij acumen, a diuina natura agros datos & dispositos esse censet de *re rustica III. 1.* Hinc merito pro lege custodiebatur natura, & cui ab ea servitus imposita erat, iure imposita intelligebatur; ita ut ager inferior superiori serviret *L. 1. s. vlt. d. aq. & aq. pluu. arc.* Consequenter cessabat actio aquæ pluviæ arcendæ, si quis opus tollat, ut aqua naturali more vehementius fluera *L. 1. s. 22. eod.* contra vero, cum quis manu ficeret, quo aqua aliter fluaret, quam natura soleret, competitæbat actio aquæ pluviæ arcendæ *L. 1. s. 1. eod.* Hæc de natura, de lege paulo aliter tenendum. Legem hoc loco sic accipe ut notet seruitutem ab eo, cui ius est, expresse fundo cniadum impositam *L. 6. pr. comm. præd. L. 29. pr. d. S. P. R. L. 19. pr. quemadm. seruit. amitt.* Huiusmodi legem patres familias fundis suis dicere solebant, quoties eos legabant, & hoc nomine separatur servitus ultima voluntate imposta ab ea, quæ per pactiones & stipulationes conceditur *s. 4. I. d. seruit. præd.* Homo enim, cui tanquam naturæ parti diuina ratio præ reliquis animalibus insignis inserta erat, siquidem ex diuino semine procreatus fertur a Nasone, Deorum vicem in terris tenebat, ad quorum effigiem filius esse credebatur. Hinc eins voluntas merito vim legis habebat, quoties res suas procurabat, & fluit inde iuris regula: quod quilibet possit rei suæ legem dicere.

§. XVI.

Hoc modo tuebantur ICti etiam servitutes quasdam, quæ non vtriusque *De vita consensu*, neque etiam temporis vnu constituebantur. Sic in agris ager integratus. prior superioris flumina naturaliter eo defluentia excipere tenebatur. Sic etiam fieri potest in superficie, ut quis in colle ædificans lumen eius, cuius inferior habitatio est, obscurare possit, dummodo veterem formam non excedat: nec eo nomine naturalem seruitutem defendere, absurdum erit. Hæc erant servitutes a natura impositæ. Cum autem non diuina natura, sed ars humana ædificaverit vrbes, docente **VARRONE de R. Rust. III. 1.** hinc in iis servitutibus, in quibus venit opus humana factum manu, aliam sequebantur rationem, *vetustatem* scilicet; proficisciuntur hæc equidem pariter ab hominis voluntate, sed cuius memoria non extabat, ita, ut ubi servitus non imposta est, qui dñus est servitute, velut iure adquisitam habere seruitutem videatur *L. 1. s. vlt. d. aq. & aq. pluu. arc.* Operis autem, per quod exercetur servitus, du-

L. 3

ratio



ratio memoriam exceedere debet. Ita enim vetustatem intelligit P A V L U S in *L. 2. §. 5. d. aq. Et aq. plu. arc.* Hæc vetustas succedebat in locum naturæ, siquidem a V A R O naturæ æquiparatur, teste P A V L O, in *d. L. 2. §. 5. eod.* quod enim per homines factum est, per ipsam quodammodo naturam factum videbatur. Sic I A N V S ille cuius nomine veteres naturam venerabantur, præterat quoque temporibus, ex quorum accumulatione nascitur vetustas, & pro omnium operum humanorum auctore & principio reputatur ab H O R A T I O *satyr. v. III. 4. 20.* Erant nonnunquam hi termini a vetustate positi in ambiguo, & tum ad eos discernendos solebant arbitri adhiberi *L. n. §. 1. d. S. P. V.* Quemadmodum in iudicio finium regundorum officium judicis postulat, ut mensores mittat *L. 8. §. 1. fin. regund.* quos titulo arbitrorum insigniri in *L. 7. eod.* non incommodum dictu erit. Parem ob rationem adhibiti vindentur mensores ædificiorum a iudice, qui de iure altius tollendi cognoscet; qui si dolo malo falsum modum renuncianerint, tenebantur actione in factum a prætore proposita *L. 5. §. 2. si mens. fall. mod.* Meminerunt eorum, si fallor, antiqua marmora apud G R V T E R V M p. DCXXIII. 7. 8. DCXXIV. 2.



XV.
D I S S E R T A T I O
DE OMNI C V L P A
IN NEGOTIORVM GESTORVM
IUDICIO PRAESTANDA.

VITEMBERGAE, PRID. KAL. APRIL. MDCCXXXIII.

Ius amicitiae in repub. Si qua re meriti sunt Romani, ut legibus ipsorum, atque institutis, virtute ceterarum orbis viuuersus, & victores etiam, obtemperarent; hac certe amicitia Romanae tute ceterarum gentium laudem superauerunt, quod tantum amicitiae, & munitionis officiorum studiis, inter ciues exercendis, tribuerunt.

Enimuero, cum L A E L I V S apud C I C E R O N E M ^{a)} nihil tam naturæ aptum, tamque conueniens, ad res vel secundas, vel aduersas esse, comprobet, quam benevolentiae coniunctionem: quam si quis ex natura rerum exemerit, ^{b)} nec

^{a)} C I C . de amicit. op. tom. IV. p. m. §62. ^{b)} C I C . ibid. p. §63. §64.



nec domus villa, nec vrbs perstare, ne agri quidem cultus permanere posse videatur; certe ponenda est in exemplis res publica, quæ, quod alii tantum commendauerunt suis ciuibus, & vix sperari posse censuerunt, ipsa etiam sanxit, & firmavit ciuibus præceptis. Quod vt efficieretur, non solum inter omnes omnino homines *cognitionem* quandam esse constitutam docuerunt, adeoque nefas esse, hominem homini *Insidiari* L. 3. D. de iust. & iur. sed etiam, vt arctius inter se constringerentur, scireturq[ue]t, quos in danda opera, faciendoque officio, aliis anteferre conueniret, fecerunt quosdam inter ciues necessitudinis gradus, & ordines officiorum.

Primo, cum nihil natura homini studiosius, quam suos enique liberos, commendauerit; constituerunt, quos in fidem & tutelam quis suscepere, *pupilos liberorum* loco esse: c) eodem iure iungi cum patriciis plebeios: ex patribus suum cuilibet *patronum*, plebeios his *clientes*, & necessarios, esse voluerunt: vt non solum infirmi potentiores prout patrum sanctitas postulat, colerent, atque, quod M. C A T O d) in oratione aduersus Lentulum apud Censores ait, patrem primo loco, patronum proximo haberent; sed neque clientes a patronis sine summa infamia deseriri possent, carioresque propinquis, contra e) ipsos cognatos etiam a patribus defenderentur. Deinde, vt omnes ordines implicati inter se consuetudine, & benevolentia connexi teneantur: alios inter se fratribus locum obtinere placuit, vt socios: L. 63. D. pro socio, alios, quorum fides singularis electa, vt, quibus mandata negotia, aut apud quos res deposita fuisset, *amicorum* cognatorumque fidem implere: &, si quis suo nomine in his iudiciis, maxime directis, damnatus esset, illum infamia notari, præceperunt, L. 1. D. de his, qui not. inf. alios denique omnes, inter quos iuris gentium, & bonæ fidei negotia contraherentur, *bonos* esse voluerunt, & vicissitudinem horum studiorum, solemnni formula, vti inter bonos bene agier oportet, definierunt; plerosque, quantum in tot, tamque diuersis, ingenii fieri potuit, *necessitudine* quadam, & caritatis communi vinculo, continuerunt.

§. II.

Cum sint gradus quidam amicitiae, & ex infinita societate generis humani, quam conciliauit ipsa natura, quod CICERO adfirmat, f) ita contracta res *perfectissimæ amicitiae in negotiis gentilium*.
est, & redacta in angustum, vt maxima caritas tantum inter duos, aut certe inter paucos, iungeretur; in ceteris fere caussis agnouit prætor, dandum aliquid stis.
fragilitati hominum, & eo rem perduci non posse, vt remota omni inuidia, &
simplitatibus sublati, perpetuo inter omnes conueniret: in eo autem, qui *negotia ignorantis gesserit*, exstare imaginem & exemplum voluit *perfectissimi amici*.

c) GELL. N. Att. I. V. c. 13. d) apup GELL. N. A. I. V. c. 13. e) CAE-SAR pro Bithynis ap. GELL. I. c. cont. GELL. I. XX. c. 1. f) CICERO. de amicit. p. m. §63.



amicī, illudque iudicium constare regulis omnibus benevolentiae, & nobilissimae coniunctionis. Enimvero, totum illud de gestis negotiis edictum *amicitiae* causa comparatum esse, docet **VLFIANVS** l. 1. **D. de neg. gest.** quoniam magna vtilitas *absentium* versatur, ne indefensū rerum possessiōnem, aut venditionem, patientur, vel pignoris distractionem, vel p̄cē committendae actionem, vel iniuria rem suam amittant. Quarum rerum procuratio cum sperari omnino, nisi ab illis, qui amore, & familiaritate nobis coniuncti sunt, non possit; hanc demum **PAVLVUS** proprie gessisse absentis negotia sensuit, qui quasi *amicī*, non quasi domini, negotia administravit l. 36. **D. de neg. gest.** vt secundum **PAPINIANVM** l. 31. f. 2. **D. eod. t.** is demum, qui vt amicus absentem defenderit, negotiorum gestorum teneatur; & contra illum in primis, teste **IVLIANO** atque **VLPIANO** l. 6. f. 1. & 6. l. 44. **D. h. t.** cuius *amicitia*, & contemplatione negotiū gestū est, actio contraria negotiorum danda esse, denique tota haec cauſa affinis pietati habenda videatur. l. 27. f. 1. **D. h. t.** l. 34. **eod.**

Voluerunt igitur veteres prudentes ab *amicissimo* & coniunctissimo homine negotia administrari; cuius officia, cum antea cuiusque pudori relata fuisse videantur, comprehendit *prætor* l. 3. pr. **D. h. t.** elegantissimo edicto: *si quis negotia alterius, siue quis negotia, que cuiusque, cum is moritur, fuerint, gesserit, eo nomine iudicium dabo.* Nihil cogiteri potest, quo magis praecipua vis amicitiae, & nerui omnes necessitudinis contineantur. Enimvero, cum *amicitia*, secundum **TULLIVM** ^{g)} sit omnium diuinarum humanarumque rerum cum benevolentia, & caritate summa, consensio; quid magis est conueniens *amico*, quam negotia alterius suscipere, pro *amico*, tanquam pro se ipso excubare, eius vtilitates, tanquam suas, procurare? Quandoquidem, quod **PERIPHANES** ait, apud **PLAUTVM** ^{h)}

*Nihil homini amico est opportuno amicius,
Sine tuo labore, quod velis, actum est tamen,
Ac si allegasses aliquem ad hoc negotium.*

Contra dignum hominis inficeti & morosi apud **TERENTIUM** ⁱ⁾ persona:
quando ego tuum non curo, ne cura meum.

Cui recte **MITIO** illo loco responderet:

*Non aequum dicas: non. nam verius verbum hoc quidem est:
Communia esse amicorum inter se omnia.*

Habes igitur primum in loco, qui negotia gessit, argumentum amicitiae, quod negotia **ALTERIUS** suscepit: sed hoc maius est, quod etiam *absentis*, atque ignorantis l. 11. pr. **D. de neg. gest.** etiam furiosi & pupilli l. 3. f. 5. & 4. **D. h. t.** l. 2. **C. eod.** cum contra, si praesentis negotia gesserit,

man-

^{g)} **CIC.** de amic. p. 563. ^{h)} **PLAUT.** epidic. act. III. Sc. 3. v. 44.
adelp. V, 3. v. 15 seq.

ⁱ⁾ **TER.**

mandati teneatur, l. 22. s. 10. l. 20. s. 1. D. mand. Hoc frustra, nisi ab optimo amico & studiosissimo humanitatis, expectabis: quando quidem illud interesse inter certos amicos, incertosque, Isocrates^{k)} putauit, quod ὁ μὲν τὸς φίλος παρέγεται μόνον τιμωσιν· οὐ δὲ καὶ μακρὰν απόφεται ἀγαπῶσι. Qua propter & Tarquinius, teste TULLIO^{l)} se demum, cum exul esset, quos fidos habuerit amicos, quosque infidos, intellexisse, dixit; cum praeter maximas & plurimas commoditates, quas amicitia continet, id illa praefest omnibus, quod bona spes praeluceat in posterum: nec debilitari animos, aut cadere patiatur: sed, quod Lælius ait,^{m)} amicum qui intuetur, tanquam *exemplar* aliquod intueatur sui; quocirca & absentes adfint, & egentes abundant, & valeant subinde imbecilles.

Videri poterat fatis amici fidem impleuisse, qui & negotia ALTERIVS suscepserat, & absentes, apud quem volebat gratiam inire, a quo sperabat gratiam relatum iri. Non tamen hic subsistit praetor, dum amici officia definit; sed patitur etiam amicum, quæ cuiusque, cum moritur, fuerint, negotia admistrare l. 3. pr. D. h. t. quod summae est, & rarissimae virtutis. Secundum TULLIVM enimⁿ⁾ per amicum non modo adsumus absentes, valemus imbecilles, sed etiam, quod ipsi difficilis dictu videatur, mortui viuimus.

Igitur praetor non probat illam vulgi amicitiam, qui, ut PLINIVS aliquando conqueritur^{o)} non nisi viuentes reueretur; si quidem, quod ille alibi ait, tam rara in amicitiis fides, tam parata obliuio mortuorum, ut ipsi fere nobis conditoria extrahere, & omnia heredum officia praesumere cogamur. Quod cum improbum, & iniuum videatur; laudat praetor illum, qui & mortui negotia gesserit l. 3. s. 6. D. de neg. gest. Ut, monente VLPIANO l. 12. s. 2. eod. heres, qui postea succedat, teneatur, si eadem diligentia, & utilitate, qua viuentis, etiam mortui negotia ab amico fuerint administrata.

Iuber praeterea PAVLVS, ut amicus absoluat beneficium suum, & si coepit eiusdem negotia gerere, mortuo eo ne intermittat, vetera explicet, & conseruet l. 21. s. 2. D. h. t. quia, praecipiente ISOCRATE^{p)} ut patrimonii, ita amicorum deber hereditas ad liberos transmitti. Sed quia videbant veteres, saepe deficere a parentibus heredes, & in partem contrariam abire: cum & TIBERIVS^{q)} matre mortua, omnes familiaritates & amicitias intra breve tempus affixerit; satis habuerunt, amicum copta perfecisse: ut noua inchoaret, nisi heredis ingenio probato, inuitum cogi non debe-

^{k)} ISOCRAT. ad dem. c. 1. ^{l)} de amie. p. 569. ^{m)} LAEL. ap. CIC. d. amic. p. 564. ⁿ⁾ CIC. l. c. ^{o)} PLIN. VI. ep. 6. ^{p)} PLIN. VI. ep. 10. ^{q)} ISOCR. ad dem. c. 1. ^{r)} SVET. in Tib. c. 51 f.



debere I. 21. f. 2. D. de neg. gest. adeoque amicitias iudicio, non casu, eligendas, censuerunt.

At vero praetori nondum satis officiosus est, qui negotia amicorum, eorumque absentium, atque etiam mortuorum, non neglexit. Ne quid ad commendationem pulcherrimi facinoris deesse videatur, omnes partes amicitiae persequitur, etiam *ultra* & *sponte*, accedere amicum, & negotia administrare, iubet, quod Vlpianus & Papinianus docuerunt I. 3. f. 10. Et I. 31. f. 2. D. h. t. vt a procuratore sciungatur is, qui negotia absentis gessit. I. 22. f. 10. D. mand. vtque hominis benefici & benevolentis laudem rueratur, cuius virtutem tribuere gaudium, & tribuendo capere, in id quod facit prounam, & sponte sua paratam esse, Seneca ¹⁾ obseruat. Enimvero, si CICERO NEM ²⁾ audiamus, amicorum causia honesta facienda sunt, & ne expectandum quidem, dum rogemur: sed semper adsit studium, absit cunctatio: & benignitates cum prohymnia, quod & PLAVTVS ait ³⁾ sint coniunctae. Repte ANTIPHON ⁴⁾ apud PLAVTVM, illud in seruili ingenio agnouit:

*Qui manet, ut moneatur semper seruus homo officium suum,
Nec voluntate id facere meminerit, seruus is habitus haud probus.*

Tantum abest, vt quis cunctationem dignam homine liberali existimet, aut conuenientem officiis amici, in quibus secundum SENECA, ⁵⁾ primum est, antecedere desiderium amici: proximum, sequi: ne pereat gratia beneficii; cum nulla res carius constet, quam quae precibus emta est: ⁶⁾ nec quisquam libenter debeat, quod non accepit, sed expressit: ⁷⁾ denique, vt amico verecundo tormentum rogationis remittamus. ⁸⁾ Quod dum cogitat, PLINIVS secundus ⁹⁾ conquestus est, quod rogaretur ab amico: cum admoneri debuerit, vt sciret, rogari non debuerit, quod sibi, si non sponte faceret, turpissimum esse videretur.

Igitur etiam *sponte* amici negotia gerenda sunt. Praeterea, praecipiente TRYPHONINO I. 38. D. h. t. gratuita, certe abstinentis ab omni lucro fides & benevolentia praestanda: cum & Senecae ¹⁰⁾ danda beneficia, non feneranda esse videantur. Quapropter, qui pecunias ex administratione sibi sumbit, & in se transtulit, vt, tutor, aut magistratus municipii, ad usuras maximas tenetur, vt licentia, qua visus est abuti, usuris, vice eiusdem pœnæ, ex merito subiiciatur.

Hactenus amicus ex praetoris mente, omnia virtutis officia impleuit. Sed forte aliquem moueat, quod expensæ contario iudicio subinde repetantur,

¹⁾ SEN. de benef. I. 1. c. 6. ²⁾ in LAELIO d. am. p. 568. ⁴⁾ PLAVT. in Stich. IV, 2. v. §3. ⁵⁾ PLAVT. Stich. ait I. sc. 2. init. ⁶⁾ SEN. benef. II. c. 1. ⁷⁾ SEN. I. c. ⁸⁾ SEN. I. I. c. 1. ⁹⁾ SEN. I. II. 1. ¹⁰⁾ PLIN. ep. IV, 17. ¹¹⁾ SEN. benef. B. c. 1.



tur, *I. 10. pr. D. de neg. gest.* quas videbatur homo liberalis, & amicus, rectius de suo erogaturus esse. Quandoquidem

In mala uxore, atque inimico, si quid sumas, sumptus est;

In bono hospite, & amico, questus est, quod sumiseris. e)

Verum nihil hic peccauit praetor: patitur enim, te etiam animo donandi pro absente fideiubere, impensas remittere, & tibi imputare: idque si feceris, collaudar *I. 4. I. 10. pr. I. 27. §. 1. I. 34. D. h. t.* & subinde pietatis causa, ut id facias, iubet: quod etiam principes imitati sunt *I. I. II. 12. 13. C. h. t.* sed huius tamen liberalitatis necessitatem imponi generatim omnibus noluit; ne cum pauperum damno ditiones patrimonium augeant, neue humanitate & officiis infirmiorum, potentiores abutantur; adeoque, ne quis emungatur beneficiis; sed ut quilibet suo se modulo metiri, & liberalitati suae modum statuere possit: denique ut amici tam quid alterum praestare, quam quid se ipsos accipere deceat, *f)* cogitent: adeoque nonsolum amici rebus vrantur, ut suis, sed, suadente **PLINIO**, *g)* illis etiam discant parere, ut suis. Quos si cupidius rem gerunt, si grati animi officium negligant, si, quod **PLAVTVS** aliquando ait,

*benignitates hominum perant & prothymiae,
si ridiculi & nihil fiant amici;*

b) non indignum fuit, proposita actione ad reddendum impedimentum adigi & a praetore coerceri.

Non minus conuenit officio *amicis*, quod beneficium eius, qui negotia gessit, praetor non ex eventu, sed ex *animo* inprimis, iussit aestimari. *I. 10. §. 1. D. h. t.* ut referat, *qua mente* rem tuam procurauerim. *I. 44. pr. h. t.* Veteres enim beneficium benevolam esse actionem *i)* docuerunt, illudque non in eo consistere, quod detur, sed ex eo, *qua mente* detur, & quo rector ille animus impulerit, maxime cognosci. Igitur **VLPIANVS**, non solum, si effectum habuit negotium, quod gessit, sed etiam si utilitas intercepta est, si insulam amicus fulsit, vel aegrum seruum curavit, etiam si insula exusta est, vel seruus obiit, censet, dandam esse actionem *I. 10. §. 1. D. d. neg. gest.* Hoc est, quod contrario iudicio is maxime tenetur, cuius contemplatione, & *amicitia*, alter accesserit ad negotium administrandum. *I. 6. §. 6. & I. 46. pr. D. h. t.* Ex hoc enim cognoscitur animus beneficiandi: &, si forte per errorem ego tuum negotium, quasi alienum, & alterius contemplatione, gesserim; mihi est actio non directa, sed utilis duntaxat: cum, quamuis beneficium illud mihi non debeas, quod tibi, sed alii, praestitum volui; tamen, ne in damno verser, probabilis me error, consilium, certe non fraudulentum, tueatur. *I. 45. §. 2. I. 31. §. 1. I. 6. M. 2* *§. 8.*

e) **PLAVT.** mil. glor. III, 1. v. 79. *f)* **PLIN.** VII. ep. 14. *g)* **PLIN.** VI, 28.

h) **PLAVT.** Stich. IV, 2. v. 53. *i)* **SEN.** benef. I. cap. 6.



ſ. 8. D. h. t. Sed & ipſe, quamuis errauero, tibi de mea administratio-
ne teneor, quia in alienis negotiis, ut amicus, quamuis non ut tuus, de-
bui versari.

Cui obſeruationi ſimilis eſt haec: quod, qui neceſſitate coactus, aut
ſuſpicioне aliqua neceſſitatis, vīputa, feruum ſe putans meum, aut liber-
tum, cum liber, aut ingenuus eſſet, reſ mea gollerit, non quidem directo,
ſed ramen vtili negotiorum gestorum iudicio experiatuſ: ne cum danno &
iniuria eius, qui nihil peccauit, quamuis nec benefaciendi animuſ habue-
rit, locupletari videamur *I. 3. ſ. 10 I. 6. ſ. 5. I. 19. ſ. 2. D. h. t.*

Ergo animo ingenuo, & bono, mihi opem tuferit, neceſſe eſt, qui
videri velit mea negotia gellisse. Contra, quod p̄ælandi animo, & ſui lu-
cri cauſa, non mei contemplatione, neque, ut meo commodo ſtuderet,
administrauit, quamuis bene rem gollerit, iudicandus eſt, ſuum potius,
quam meum negotiorum gellisse: adeo que mihi quidem tenebitur, ſi reſ meaſ
perturbauit; ſed ipſe ſi circa reſ meaſ aliquid impenderit, in id, quod ei
abeſt, aduersus me actionem non habebit *I. 6. ſ. 3. D. h. t.* Optima
omnino ratione: quia nec tyraṇnus, docente ſENECA, ^{k)} illi gratiam de-
bebat, qui tuber ipſi gladio diuiferat, cum veniſſet ad ipſum occiden-
dum; quamuis rem, quam medicorum manus reformidauerant, nocendo ſana-
viſſet. Neque enim, qui malo animo profuit, videtur beneficium dediſſe.
In id tamen, quantum factus ſim locupletior, exceptionem (ita enim potius
legendum, quam actionem) aduersus me habebit. *I. 6. ſ. 3. D. h. t. j.*
*ſ. 30. I. d. rer. diuif. ne cum ille improbus ſit, ipſe etiam appetentior,
& parum memor videar humanitatis.*

ſ. III.

Officium diligentissimi amici in delectu negotiorum ab ſentis, que amicum iubeat, in rebus alterius, quas ſuſcepere, gerendis. Non vult
quidem gerit, ipſum praetor, ſi amicus videri velit, ſimpliciter verſari, monente *IVLIA* ^{deſideratum.}
anno I. 3. ſ. 4. D. h. t. aut, dum prodelle velit, moleſte ſedulum eſſe,
rem perdere, atque iniuriam facere amico; ſed *utiliter* gerere, & cogita-
re, quid neceſſarium, quid pro futurum, quid vere iucundum amico ſit fu-
turuſ, *I. 10. ſ. 1. D. h. t.* Quapropter *HERENNIVS MODESTINVS*
fratrem maiorem, qui in ſaltu communis, habente iam dum habitationes,
ampla aedificia, quae praeuidere poterat fratri minori non probatum iri,
aedificauit, & in diuifione, ſumtuſ, quaſi re meliore facta, deſide auit,
repu-

^{k)} ſENEC. benef. II, 19.



repulit, responditque: ob sumtus, nulla re urgente, sed voluptatis suae causa factos, fratrem negotiorum gestorum actionem non habere. *I. 27. pr. D. h. t.* In qua re Modestinus cum **SENECA**¹⁾ consentit; qui primo danda esse *necessaria*, censuit, dein *utilia*, denique *iucunda*, vtique *mansi*ra, „& cum diligentissimo delectu: quia possit aliquis fastidiosus esse „aestimator, facile cariturus illo, de quo dicere licet: non desidero: meo conten- „tus sum: non tantum reddere liber, quod accepim, sed abiicere., Quapropter nec *superuacua* gerenda: vtputa: si feminæ, aut seni, arma venatoria, rusticò libros, litterarum studiis dedito retia emeris: aut si, quod **CELSVS** ele- ganter refert, *I. 10. f. 1. D. h. t.* insulam fulseris, quam dominus, quasi impar sumtui, dereliquerit, vel quam sibi necessariam non putarit. Enim uero non *utiliter* gerit negotia, qui rem non *necessariam*, aut quae *onera- tura* est patrem familias, aliquidreditur, atque ita molestus est amico; cum amicitiae, leuandæ communis maxime necessitatis cauſa, sint a natura com- paratae.

Eodem pertinet, quod nec conueniat amico, *prohibentis* negotia ge- rere. *I. 8. f. vlt. D. h. t.* aut obtrudere beneficium, atque aliquid in re amici inuito domino moliri. Probe illud agnouit **LESBONICVS** apud **PLAVTVM:**²⁾

Quanvis id non sit sapere, si beneficium a beneuolente repudies;
Tamen nullum esse daco id, quod cui facias, non placet.

Quare studio singulari & cantione opus est, qua **AESCHINVS** vtitur apud **P. TERENTIVM**³⁾ inquiens.

Iaque adeo magnam mihi iniecit sua commoditate curam,
ne forte imprudens faciam, quod nolit; sciens, cauebo:

Cum ne sufficiat quidem, quod putauerim, me utiliter facere, quod pa- trifamilias non expediebat: tunc enim non habebo negotiorum gestorum actionem: quia, vt euentum non spectanus, tamen oportet utiliter coeptum esse. *I. 10 f. D. h. t.* Sed non videtur utiliter coeptum, quod auersatus fuerit amicus. Cuius voluntas si vel inepta sit, & prohibeat illa, quorum utilitas probari possit, non tamen cogendus est dominus, vt in re sua volun- tati amicorum obsequatur. Reste **SYRVS** apud **TERENTIVM**⁴⁾

Inepta hac esse, nos quæ facimus, sentio:
verum, quid facias? vt homo est, ita morem geras:

Offerre operam amico, etiam inepro, licet, obtrudere omnino non licebit. Agnouit hoc ille apud **PLAVTVM**, qui hanc suo consilio apud amicos le- gem dixit: *p)*

M 3

- si

l) **SENEC.** benef. I. c. 11.

Adelph. IV, 5. v. 76.
epidic. act. II. sc. 2. v. 80.

m) **PLAVT.** Trin. III, 2. v. 11.

o) **TERENT.** Adelph. III, 3. v. 76.

n) **TERENT.**

p) **PLAVT.**



— — — — — *si placebit, utior
Confilio, si non placebit, reperitote rectius.
Mihi istuc nec scribir nec metitur;
Impleui tamen fidem, qui non recusasti officium obire.*

Ab hac obseruatione non longe remotum est, quod *proculis* te etiam prohibeat, ne *nouum* negotium, quod *non solitus* sit facere amicus tuus, nomine absentis geras; *vtputa: venales nouitios cœmundo*, vel aliquam negotiationem ineundo: nam debebis & casum præstare, &, si quod damnum ex illa re secutum fuerit, te sequetur *L. II. D. h. t.* Enimvero, quod *syrus* ille ait: ^{q)}

*Homine imperito nihil est iniustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*

Quapropter, si vel iniuste illud auersetur, debes amici imbecillitatē ignoscere, & pati, vt quisque vtilitatis suæ modum ex re sua statuat, suasque res ex suo ingenio omnino moderetur. Sed, vt tu eius morositatem ferre debes; ita & ille bonitatem tuam agnoscere. & si quid imprudenter gestum sit, dummodo damno careat, tibi veniam subinde dare. Quo pertinet illud, quod *POMPRONIVS* præcipit: si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum, lucrum cum damno liberaliter pensari *d. L. II. D. h. t.* Quando quidem ^{r)}

*Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris;
Si illud, quod maxime opus est iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte et corrigas.
Quodsi a te factum fuerit, defunctus officio videris.*

Iubet igitur prætor non superuacua gerere, non inuisa, non oneri futura; sed grata, & vtilia, & vtique mansura. Huius vtilitatis regulas porro ex natura *honestatis* aestimat, cuius maxima habenda ratio ab amicis. Hinc, si, vt alterius fidem liberares, fideiussisti, *L. 46. f. 1. h. t.* vel, ne indicio tutelæ tenetur, *L. 6. pr. D. h. t.* vtiliter videberis gesisse; quia debet esse, secundum *LAELIVM*, ^{s)} summa inter amicos rerum & voluntatum communio, maxime, si de capite, aut *fama*, disceptatur. Quapropter, si & pro *liberis* tuis, & *necessariis*, contemplatione tui, aliquid gesserim, tua me negotia *IVLIANVS* credidit gesisse: cum, si *SENECAM* audias ^{t)} plororumque animus liberos, & coniuges, & penates, ita sibi applicuerit, vt ab illis, quam a vita, diuelli grauius existimet: adeoque pro illis gestum negotium, tuae necessitatis causa gestum iudicetur.

Sed de procuratione *honorum* videamus. Quæ quamvis non sit necessaria; tamen honor, & processus ad altiora tendentium, *SENECAE* ^{u)} tante viuis est vtilitatis, vt nihil habendum sit vtilius, quam sibi ipsi vtiliorem fieri honoris aliqua accessione. Quocirca & *CICERO* inter præcipua huius iuris officia

^{q)} *TERENT.* Adelph. I. 2. v. 18.

^{r)} *TERENT.* Adelph. IV. 7. v. 21 seq.

^{s)} *CIC.* d. amic. p. 571.

^{t)} *SENEG.* benef. I. 2. II.

^{u)} *SENEG.* I. C. II.



cia retulit, amicos in petitione honorum adiuvare. ^{x)} Hanc sententiam securitus V L P I A N V S , inter illa, quæ utiliter in negotia amici erogantur, etiam sumptum honeste ad honores per gradus pertinentes factum, referri censuit, illumque actione negotiorum gestorum peti posse *L. 45. pr. D. neg. gest.* quod & idem in socio *L. 73. pro socio*, & *LICINIVS RUFINVS* in donatione vxoris in maritum, dignitatis & processus ad honores causa collata *L. 41. D. de donat. int. vir. & ux. probauerunt.*

§. IV.

Vides, quæ sit sanctitas, omnibus partibus huius indicii expressa, quæ religio amicitiae, ad cuius præcepta ICtri officia illius, qui negotia alterius gessit, ligentiam in exegerunt, quæ promptitudo in suscipiendo, quæ bonitas desideretar, que cir. perfecta amicitia præstari, maxime, amico in ipsa administratione negotii, quod susceptum est, debemus. *Omnem diligenter in negotiis*

Vñsum est interpretibus, in primis C V N R A D O R I T T E R S H V S I O in gestis. *comment. ad L. 23. d. R. I. &*, qui illum secutus est, v. c. G E O R G I O BEYERO in posit ad pand. tit. 5. L. 3. p. 142. & ceteris plerisque omnibus, diligentiam ordinariam duntaxat, id est, mediocrem, & qua quilibet ex vulgo, ad rem attentus, vitetur, ab illo, qui negotia alterius gesserit, desiderari: adeoque *culpam leuem* in negotiorum gestorum iudicio præstari. Qua sententia dici non potest, quam corruperint illi, mores optimi & probatissimi amici, qui negotia alterius & ignorantis gessit, tot sapientissimis prætoris, & juris prudentium, præceptis pulcherrime instructi, & efformati ad perfectissimam virtutem, qua post sapientiam nihil maius, & præstantius, datum esse hominibus videtur. Agnouerunt errorem C O N T I V S ad L. 23. d. R. I. & V V L T E I V S , in primis v. c. G E R A R D V S N O O D T . Cum quibus libentius facio, atque ab illo, qui negotia alterius-gesserit, *culpam leuissimam* præstari. Qua opinionem cum nihil sit apertius, si tot luculentas leges cogitemus, in primis, quæ a I U S T I N I A N O s. i. I. d. oblig. quæ quasi ex contr. ab V L P I A N O L. 23. D. d. R. I. a P H I L I P P O L. 24. C. de usur. in illam sententiam traduntur: ut res fere, nisi ab aduersarii peruersa esset, vix disputatione indigeret; tamen cum illorum verba mirifice ab his distorta sint, & interpretatione obscurata, & eam R I T T E R S H V S I V S in primis illa ex natura negotii explicanda, affirmet, prius, ne quis canillari possit, rem ipsam videamus. Inde facile erit, quid illi, quos commemorauit, in his legibus senserint, ex ipsis rerum argumentis expedire.

Enimuero illud superiori commentatione comprobatum est, ad regulas exactæ eiusdem, & nobilissimæ amicitiae, officium eius, qui negotia alterius gesserit, definitum esse a prætore, & veteribus iurisconsultis. Ne igitur dubites,

x) C I C . I . c . p . 573.



tes, ab illis, qui amicitiae speciem, id est, CICERO^{e)} interprete, divinorum atque humanarum rerum cum caritate maxima consensionem, præ se ferunt, diligentiam, qua in homines cadit, maximam desideratam. Certe SENEC^{a)} qui diligentissime de amicitia præcepit, beneficium non negligenter dandum esse, monet, quod eodem animo debetur, quo datum est: cum sibi quisque beat, quod negligenter accepit ab amico. Illa enim fraus est, qua nulla omnino pestilentior, accedere ad rem gerendam, aliquid tentare: cœpta deserere, omnia turbare, rem effectam & peruersam relinquere. Hoc illi more & exemplo viuunt,

— — — — —
quos cum censeas
esse amicos, reperiuntur esse falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide. ^{a)}

CICERO^{b)} contra in amicitia abesse cunctationem, adesse studium, conuentum cum summa benevolentia, præcepit.

Quod intellexit apud PLAVTVM^{c)} etiam seruile ingenium, attactum admiratione virtutis, quam in amicitia desideramus. Laudat enim amicum, cui tuam cum rem credidisti, sine omni cura dormias.

Atque apud eundem alio loco ^{d)} Mnesilochus hominis improbi & ingratii infamiam metuit, nisi pro beneficio diligenter referat gratiam, & cum cura officio amici defungatur. Verba PLAVTI;

Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt mali:
Qua me causa magis cum cura esse, quam obuigilate, opus est!

Adeoque cura desideratur in administrandis negotiis amici. Sed ne cura qualisquis sufficere posse videatur: audiamus LAELIVM apud CICERONEM^{e)} qui non solum amicum suum vult exemplar esse sui, per quem absens adsit, valeatque imbecillis, quique adeo eadem diligentia, qua ipse vsurus sit, in suis negotiis versetur; sed præterea indignatur illis ^{f)} qui hac lege definiunt officium amici, vt, quemadmodum in se quisque, sic in amicum etiam sit animatus. Plus desiderat; vult in re alterius quam diligentissime amicum occupari „Quam multa enim, inquit, quæ nostra causa nuncquam faceremus, facimus causa amicorum? Precari ab indigno, supplicare, acerbius in aliquem inuehi, insectarique vehementius, quæ in nostra causa non satis honeste, in amicorum sunt honestissime. Multæ quoque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, vt iis amici potius, quam ipsi perfruantur... Ergo damnat in amico culpam, quam seholæ levissimam in abstracto appellarent.

Op-

^{g)} CICERO in Lel. p. 564.

^{z)} SEN. benef. I. I. c. 1.

^{a)} PLAVT Bacchid. III. 6. v. 11.

^{b)} CIC. de amic. p. 568.

^{c)} PLAVT. Trin. III. 1.

v. 20.

^{d)} PLAVT. Bacchid. III. 2. v. 12.

^{e)} CIC. amic. p. 564.

^{f)} CIC. ibid. p. 570.

Opinaberis audire te *IUSTINIANT* verba, qui *fl. i. I.* de oblig. quæ quasi ex contr. ad exactissimam, inquit, diligentiam, compellitur, qui alterius negotia gesit, rationem reddere; nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet.

Vides, quæ sit inter Iureconsultos, & sapientes, qui ex Stoa prodierunt, consensio de amicitiæ præceptis. Certe etiam *PLINIVS* ^{g)} homo diligentissimus in amicitiis colendis, collaudat Pompeiam, a cuius seruis fuerat eius iussu liberalissime acceptus. „Non mehercule tam mea sunt, inquit, quæ mea sunt, quam quæ tua. Hoc tamen differunt, quod *sollitus*, atque *intensus*, „tui me excipiunt, quam mei. Idem fortasse tibi eueniet si quando in nostra „venies.“ Ut intelligatur, maiorem optimos quoescunque amicis, quam sibi, operam & curam impendere debere. „Generaliter *SENECA* ^{b)} multa *cura*, „inquit, sata producuntur ad segetem. Nihil in fructum peruenit, quod non a „primo, usque ad extremum, æqualis cultura prosequitur. Eadem beneficio- „rum conditio videtur.“ Ergo *curam singularem* expectat ab amico. Et recte mea sententia: quandoquidem satius est, intacta a te mea negotia relinquiri, & vel mihi vel aliis permitti procuranda perficiendaque; quam tua quidem facilitate attingi, sed tua oscitatione etiam corrumpi, & peruersti.

§. V.

Ausim affirmare, prætorem, & iurisconsultos nihil in hoc argumento *Iuriscon-*
dicessisse a veteris sapientiæ, quæ enarrauimus, præceptis. Enim uero dubita- *sutros ex-*
ri non potest, veteres, qui tantam promptitudinem in suscipiendo negotiis absen- *actissimam*
tis, tantum studium in deligendis *L. 10. & 11. D. h. t.* tantam prouidentiam in *diligentiam* ^{ab illo, qui}
demerendo amico desiderauerant, etiam absolui beneficium, & perfici negotium *negotia ab-*
cum *cura diligentii*, voluisse. Ibimus per partes, & quid in singulis capitibus *sentis gerit,*
administrationis præstare iusserint illum, qui negotia alterius gesit, videamus. *exegisse, ex-*
emplis com-
probatur.

Primo *PAVLVS* generatim, postquam semel ille, qui gerit, personam *amici suscepit*, quæ antea arbitrii erant, ad officia perfecta referit, & gerit rem, *vt oportet*, & præstari, quod præstari *debet*, præcipit. Si quis contra fecerit, & plus, quam oportet, impenderit, recuperaturum ait id duntaxat, quod præstari *debut*. *L. 25. D. h. t.* Vides nihil omnino *PAVLLVM* excipere, sed velle præstari, quod *debet*, quod oportet, id *est*, nihil intermitti, quod possit ad villam partem officii, etiam minimam, referri. Si quis obiciat: præstati- ném diligentia ex natura contractus, & negotii, æstimandam esse; res expedita est; cum dubitari non possit, illum, qui negotia aliena gerit, ad præcepta exactissimæ amicitiæ, quam re ipsa profitetur, alligari. Hæc vero desiderant maxi-

g) *PLIN. I. ep. 4.* b) *SENEC. de benef. I. 2. c. II.*



maximam diligentiam in negotiis amici. Nihil enim apertius. Suæ rei, si **C O N S T A N T I N U M** audiamus, quisque moderator & arbiter, non omnia negotia, sed pleraque, ex suo animo facit; aliena vero negotia *exacto officio* geruntur: nec quicquam in eorum administratione negleguntur, ac declinatum, culpa vacuum est. **L. 21. C. mandat.** Ita apparet, pro natura huius negotii **P A V L U M** diligentiam *exactissimam* intellexisse. Ne cui possit scrupulus haerere; audiamus **P A V L U M** alio loco, in quo ipsi non placet, si quis *vnum* negotium meum gerat, nisi ab initio ad *vnum* duntaxat negotium accessit, finito eo discessurus; sed qui voluit amicus absentium videri, illum iubet etiam *connexa* tractare, nihil intermittere, de omnibus teneri: cum aliquis, inquit, negotia mea gerit, non multa negotia sunt, sed *vnum* contractus, nisi ab initio ad *vnum* negotium accessit. **L. 16. D. h. t.** Ex quo intelligitur, debere amicum vigilare, circumspicere ad omnes partes, ne quid ipsi elabatur, quod pertineat ad absentis utilitatem, denique cum cura & *diligentia summa* versandum esse in rebus amicorum. Manifeste **I V L I A N U S** **L. 6. f. 12. D. h. t.** ad diligentiam maximam hoc refert, si quis omnia negotia absentis gerat. Dicit enim, eum, qui aliqua gessit, aliqua non gessit, contemplatione tamen eius aliis ad hæc non accessit, & *vir diligens*, quod ab eo exigimus, etiam ea gesturus fuit, etiam propter ea, quæ non gessit, teneri negotiorum gestorum actione. Noni, quid multis interpretibus de hac lege corrumpenda videatur. Aiunt a **I V L I A N O** singularem speciem tractari, & tunc denum desiderari, ut negotia omnia gerantur, si speciatim probari possit, *alium adfuisse*, omnia gesturum. Sed frustra fuerunt omnino, qui rem manifestam interpretatione coacta peruerterunt. Magis est, hæc verba: *contemplatione tamen eius aliis non accessit*, non conditionem, sed *causam*, atque *rationem* dicendorum, continere. Apparet enim ex **L. 16. D. h. t.** quod credatur semper, qui *vnum* tentauit, ad omnia negotia gerenda accessisse, nisi indicauerit, se *vnum* tantum gesturum ex negotiis absentis. Ne igitur credas, **I V L I A N U M** de singulari specie sentire. **E x i g i t u r** enim hac lege ab illo, qui negotia absentis gerit, ut *æque diligens* sit, atque alter ille, qui fuisset omnia gesturus. Quapropter adsuerit aliis, an minus, *æque* tenebitur; cum satis sit, quod potuerit aliis adesse. Si quid video, **I V L I A N I** sensus hic est: si quis negotia gerit, solent alii contemplatione eius abstinere a negotiis amici: illud non iubet specialius probari, sed præsumi; cum natura doceat, neminem ausurum ad negotia accedere, quæ iam ab alio occupata sint, vt administrarentur. Ideoque *æquum* videtur, ipsum eadem præstare, quæ ab alio *diligente* expectari possent. Sed homines *diligentes*, & amici, creduntur omnia negotia gesturi, quod ex **L. 16. D. h. t.** comprobatur: quare conueniens est, illum etiam de his teneri, quæ non gessit, cum ab alio geri potuissent. Desiderat ergo diligentiam *exactissimam* in *abstracto*, id est, eam, quam *alius vir diligens* fuisset amici negotiis ahibitus: idem enim



enim ab illo *exigimus*, quod poterat ab alio præstari: affertque **IVLIANVS** causam, quia alius eius contemplatione ad negotia absentis non accessit. Non video, quid nodum quærant Viri docti in re plana atque expedita. Res ipsa docet, non posse postulari a domino, vt probet alium eius contemplatione a negotiis abstinuisse. Quid enim efficietur, si hoc dominus probabit? Forte, si subornabit aliquem, & adducet, qui fateatur, se gestorum omnia fuisse, nisi alius gessisset? At ille, qui interea gesserat, habet cur respondeat, hoc sibi incognitum fuisse: se in *ignorantia facti* versatum, culpæ expertem esse, se illud non diuinare potuisse; adeoque non posse plus a se exigi, quam si nemo alius fuisset accessurus. Et habebit illud rationem; quia, si alias non teneretur, non posset ipsi imputari, quod alius adfuerit omnia gesturus; cum hoc ipse iuste ignorarit. Frustra igitur probasset dominus, aliū adfuisse negotia omnia gesturum. Quapropter dicendum est, non id quæri, an alius eius contemplatione abstinuerit a negotiis amici? illud enim præsumitur, nec indiget probacione: id tantum probari debere, quod *potuerit* alius diligentior omnia gerere: quandoquidem, quod alius diligens potuit, idem etiam, teste **IVLIANO**, ab ipso exigitur. *L. 6. f. vlt. D. h. t.* Sed aīs: augeri tamen culpam illius, qui negotia absentis gessit, si quis alias *se obtulerit*, & repulsus fuerit iniuria gerentis: id tractare **IVLIANVM**, & tunc demum velle, vt de omnibus negotiis absentis teneatur. Sed frustra hoc asseritur: neque **IVLIANO** hoc in mentem venit: ait enim: dum aliquis suscipit negotia absentis, eius contemplatione non solere accedere alios viros diligentes: ideoque qui gessit, eum teneri de omnibus, si alius vir diligens quod ab ipso exigimus, fuisset omnia gesturus: non dicit, si quis *se obtulerit*, & repulsus fuerit, hæc locum habere; sed affirmat potius, alios tunc abstinere, si quis semel gerere cœperit negotia absentis. Quibus verbis dubium non est, præstationem culpæ leuissimæ in abstracto contineri, ex illo æstimandam, quod potuissent alii diligentissimi præstare. Quod vt penitus intelligatur, sciendum est, iisdem fere verbis, quæ ex **VLPIANO** hic recitauimus, iurisconsultos sæpe vlos esse, cum de culpa leuissima in abstracto in contractibus tractarent. Ipse **IVSTINIANVS** §. 2. I. quibus mod. re cont. obl. qui vtendam, inquit, rem accipit, exactam diligentiam custodiendæ rei præstare debet: nec sufficit ei, tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solet: si modo alius diligentior poterat eam rem custodire. Nemini dubium est, his verbis non id agi, vt probari velit imperator, alium diligentiores vere adfuisse; sed vt regulam proponat: nimurum, generaliter, in commodato, culpam leuissimam in abstracto, & exactam diligentiam præstari ab accipiente. Hoc enim *L. 18. D. commod.* disertis verbis continetur. Ad eundem modum in §. 8. I. ad *L. Aquil.* mulio tenetur, qui propter infirmitatem mulas retinere non potuit, *cum alius firmior eas retinere* potuisset. Quod & ipsum non de specie singulari, aut exceptione accipiendum esse,



sed ibi regulam de culpa leuissima in abstracto tradi ex L. 8. §. 1. D. ad L. Aquil. apparet.

Voluit igitur **IVLIANVS** exactissima diligentia ab amico omnia absentes negotia administrari; non in uno subsisti: cum fides amicitiae latius patere, & vna duntaxat opera non absolui posse, videatur. Præcepit illud **PHILTo** apud **PLAVTVM** ⁱ⁾

I. probus est, quem non poenitet, quam probus sit, & frugi bona.

Benefacta benefactis aliis pertegito: ne perpluant.

„**Eo & SENECA** ^{k)} respicit, qui fouenda sunt, inquit, beneficia: pa-
xum est dedisse. Nisi adiuueris beneficia, perdes. Non rata sunt patrum be-
neficia, si in infantia deferantur, nisi longa pietas munus suum nutriat. Ni-
hil in fructum peruenit, nisi quod a primo ad extremum cultura prosequi-
tur. ⁱⁱ⁾

Tenetur igitur de omnibus, quæ potuisset alius diligentior administrare. Generaliter enim omnia, quæ fieri omnino possunt, ab illo exiguntur, qui ne-
gotia absentis gerit. Opportune occurrit idem **PAVLVS**, qui L. 18. D. h. t.
illum, qui in seruitute gerere cœperat, tantum præstare ait, quantum, si alius
negotia gesſiſſet, seruare potuisset. Ut intelligatur, illum, qui negotia gerit,
ad omne possibile, id est, ad exactissimam diligentiam obſtrigi, & de culpa
qualibet teneri. Apertius id **PAPINIANVS** docet, L. 31. §. 2. D. h. t. qui
ait: imputari amico, qui absentem defenderit, si, cum posset, utique non ap-
pellasset. Sunt alia eiusmodi complura: vt breuis sim, subiiciam ex **VLPIA-**
NO, quod illi, qui potuit vi mandati præsumti, debitores eius, cuius negotia
gerebat, iudicio pulsare, imputari possit, cur oblata de rato cautione illos non
conuenierit, L. 8. pr. D. h. t. neque **IVLIANVS** ipsum excusauit, nisi cum
conueniendi debitores facultatem non haberet L. 6. §. 12. D. h. t.

Mirifice me **PAVLVS** iuuat, quem ſæpius in partes voco. Ille enim
etiam, si debita exegit, non tantum sortem, verum etiam uſuras totius tempo-
ris ex pecunia aliena perceptas, vult negotiorum gestorum iudicio præstari;
vel etiam, quas percipere potuimus L. 19. §. 4. D. h. t. vt nihil omittatur
diligentiae: & utilitatis, quae possit ab amico proficiſſi. Quid, quod & ca-
ſum præstet, qui redactas ex venditione pecunias in arca reposuit, in qua sine
culpa eius perierunt; si debuerit, id est, potuerit illas vel sibi, vel creditoribus
ſoluere vel facerari. L. 13. D. h. t. Aut enim omnia me fallunt, aut
vocabulum debet, hoc loco, pro: potest, est accipiendum. Hoc enim sensu
L. 2. §. 31. D. Ne quid in loco publ. & L. 1. pr. D. de hered. infit. uſur-
patur. Debet igitur, si potest, pecunias faciore ponere: nisi habeat cauſas
probabiles, propter necessitatem integras custodiendi. L. 13. D. h. t.

Ne

ⁱ⁾ **PLAVT.** Trin. IX. 2. v. 40. ^{k)} **SEN.** Benef. II. 11.



Ne hic quidem subsistit PAVLVS. Ne quis credat, absolui amicorum officium, si ipsi nil committant, ex quo alter damnum patiatur. Erit locus, vbi etiam de culpa aliena tenearis. Si enim mandato tuo negotia mea TITIVS gessit; quod is non recte gesserit, tu mihi actione negotiorum praestare teneberis. Non in hoc tantum, vt actiones tuas praestes: sed etiam, quod tu imprudenter eum elegeris; vt omne mihi praestes, quidquid negligentia eius mihi fecit detrimenti L. 21. f. 3. D. h. t.

Ex his credo, expeditum est, te de omni diligentia, quam potueris, praestare, sive quid commiseris, quod caueri potuisset, sive neglexeris, quod potuisset procurari, id est, de omni culpa & diligentia teneri.

§. VI.

Poteram longior videri. Sed efficit illorum auctoritas, qui aduersas partes suscepserunt, vt malim huic tractationi diligentiam exactam commodare. Parum est, eum, qui negotia gerit, in conuenientis aliis diligentiam praestare; sed aduersus se quoque agere tenetur, & haec tenus procuratori comparatur. qui in se praestare, quod in aliis, tenetur. Nimurum, quod absenti debet, a se ipso debet ipso exigere iubetur, & ex eo tempore, quo dies venerat, usurpas etiam praestare, quamvis ab initio non esset usurarium debitum. Ita RVLIANVS, PAPINIANVS, THYPHONINVS L. 6. §. 12. L. 31. f. 3. l. 38. D. h. t. atque uno ore omnes, ipse etiam PHILIPPVS l. 24. C. de usuris praeceperunt.

Illud durius, quod si rem meam imprudens emas, sed priusquam usueperis, cognoscas meam esse, iuberis aliquem subiicere, qui meo nomine a te petat, ne usucapias: si fecus feceris, & rem usueperis, teneris negotiorum gessorum actione l. 19. f. 3. D. h. t.

Poterat in his speciebus vel ipse diligentissimus paterfamilias, si adsuisset, facile sublabi, & vel usurarum obliuisci, vel rem suam, quam alter bona fide adquisuerat, omittere, & ita excludi usucapione possessoris. Poterat & illi, qui negotia gerebat, ignosci, si, vt amici rem non prodidit, ita etiam suam conservauit, sibique potius consuluit in pari causa; in primis, cum iure veteri in usucapione tantum initium spectetur. Sed quia, quod PLINTIVS praecepit, non tam mea esse debent, quae mea sunt, quam quae amicorum; placuit, amicum maiorem absentis habere, quam sui, rationem: & aliquem subiicere: qui amici nomine interpellat suam usucacionem. Nam diligentiam, qui non exigitissimam adpellet, & plus desideret a diligentissimo amico, nac, ille possit morosus, atque durus videri, & immemor propemodum humanitatis.

N. g.

§. VII.



*Ab illis,
qui se offre-
runt negoti-
is, exactis.
simam dili-
gentiam de-
fiderari.*

Igitur res ipsa loquitur, & exempla docent, qui negotia absentis gesserit, eum de culpa leuissima in abstracto etiam teneri. Sed, ne cui hoc notiis, atque contra iuris rationem constitutum esse videatur; monendum est: in omnibus negotiis, ad quae quis sponte accesserit, idem fuisse constitutum, ut durius, quam ille, cuius persona a domino electa, teneatur.

Ita *VLPIANVS l. 1. §. 35. D. depos.* si se quis, inquit, deposito obtulit, ille depositi periculo se illigavit; cum aliis de dolo tantum teneatur. Et habet illud rationem. Quandoquidem, qui sponte ad negotia accedit, videntur fidem singularem recipere, industriam, & studium insigne, profiteri, ut dominus securus dormiat, in utramque aurem. In qua re, si deficiat, merito penas luit improvidae temeritatis. Ad eundem modum mulio, qui mulas regendas sibi postulauit, culpae nomine tenetur, si propter imperitiam, aut infirmitatem, retinere non potuit impetum mularum. Nec videntur iniquum, inquit *GAIVS*, si infirmitas culpae adnumeratur; cum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligebat, vel intelligere debebat, infirmitatem suam alii periculosam futuram. *l. 8. §. 1. D. ad l. Aquil.* Recte igitur imperitia culpae adnumeratur, quod adparet ex *l. 132. D. de R. l.* quae est eiusdem *GAIV* ex *l. 7. ad edict. prouinc.* & cum *l. 8. ad l. Aquil.* videntur cohaesisse.

Sunt plures eiusmodi species apud *VLPIANVM l. 9. §. 5. & l. 13. §. 5. D. locat.* & apud *GAIVM l. 25. §. 7. locat.* in quibus imperitia nomine culpae venit. Generaliter, qui, ut artifex conduxit, id est, qui spem fecit curae, & diligentiae, & artis singularis, non excusat, nisi omnia praestitit, quae diligentissimus quisque obseruaturus fuisse videatur. Eadem conditio illius, qui negotia ablentis gerit: quem recte *PAPINIANVS* ad eundem modum, si vel imperitia lapsus est, damnauit *l. 32. pr. D. h. t.* Sponte enim ad negotia accessit, adeoque professus est, studium se singulare, & insigne, quale ab artifice subinde exspectamus, praestitum.

*Legibus ex-
pressis dige-
storum com-
probatur, di-
ligentiam
exactissi-
mam ab
illo exigi,
qui negotia
absentis ges-
fit.*

Igitur exemplis comprobatur, veteres actionem aduersus illum, qui negotia absentis gesserit, etiam de culpa leuissima, dedisse, illaque pariter imperitiam, quia se ipse negotiis alienis obtulerit, comprehendisse. Quapropter, cum rerum argumenta hic loquantur, poterat superuacuum videri, de legibus expressis laborare, quibus idem illud generatum doceatur. Sed in promptu sunt elegantes, tantoque diligentius a depranatione vidicandae, quanto incommodius a viris doctis in partem aduersam tractae sunt. Prior *VLPIANVM* audiamus, qui *l. 23. D. de R. I.* quidam contractus, inquit, & dolum & culpam recipiunt; mandatum, commodatum, venditum,



tum, pignori acceptum, locatum, dotis dario, tutela, *negotia gesta*: (*in his quidam & diligentiam*). Quibus verbis nihil expressius, nihil aperi-
tius dici potest. Sed RITTERSHVSIVS¹⁾ & alii plerique contrahunt
frontem, atque aduersantur. Aiunt enim, diligentiae quosdam gradus
esse: non hic summam intelligi: ex natura negotii cuiusque gradum culpea,
aestimari. Neque id ego dissimulo: atque etiam probatum darem, diligen-
tiae nomine aliam culpam subinde comprehendendi; nisi hanc operam V. C.
GERARDVS NOODT²⁾ luculenta commentatione occupasset. Sed hoc lo-
co existimo, *exactissimam* diligentiam notari; quandoquidem VLPIANVS
negotia gesta, a locato & vendito seiungit; illudque disserimen adgnoscit,
quod in negotiis etiam *diligentiam* desideremus. Nemo dicet, VLPIA-
NVM de vulgari illa, & ordinaria sensisse, qui cogitabit, illam etiam in lo-
cato & vendito praestandam: haec tenus enim nihil inter locati, venditique,
& negotiorum gestorum actionem interest; sed plus desiderauit VLPIA-
NVS, voluitque, illum, qui negotia absensis gessit, arctius teneri. Rem
non expedes, ni fatearis, *culpam leuissimam* venire in negotiorum gesto-
rum actione. Abscisso PAVLLVS I. i. Sent. T. 4. §. i. qui negotia, inquit,
aliena gerit, & bonam fidem. & *exactam diligentiam*, pro quo interuen-
tit, praestare debet. Vix est, quod addam I. ii. & 22 D. h. t. POMPO-
NIVM statim a dolo & culpa ad casum transiisse. Nimirum de omnibus
eum teneri ait, qui gessit negotia absensis: solum duntaxat casum non faci-
le praestari. Illud quidem saepius video, veteribus accidisse, ut a culpa
leui, quasi saltu aliquo, omissa leuissima, ad casum protulerint orationem;
id tamen me mouet, quod PAVLLVS I. 37. §. i. D. h. t. cogit illum, qui
negotia gessit, nominum, quae ipse contraxit, etiam *periculum* praestare:
vnum excipit, nisi *fortuitis casibus* debitores fortunas amiserunt. Periculi,
quod casibus fortuitis abscisso opponitur, praestationem, certum est, ple-
rumque *diligentiam exactissimam & omnem culpam* coninere.

Discederem ab hoc loco, nisi turbas daret LABEO I. 3. §. 9. D. h. t.
qui interdum ait in hoc iudicio *dolum* solummodo praestari; ut puta: si
affectione coactus, ne bona mea distrahanter, negotiis te meis obtulisti.
Nemo dubitat, hoc loco de negotiis *desperatis*, & alias, nisi quis confe-
stim subueniret, *perituriis*, LABEONEM tractauisse. Haec sententia se
omnibus, quod meminerim, interpretibus, probavit: putant enim, hoc
ex negotii, illo animo, ne bona distrahanter, propter domini absentiam,
administrati, natura apparere. Nec ipse video causam, cur dubitem, illa le-
ge agi de negotiis amici desperatis; sed nego illud, ex solo exemplo, quod
LABEO adduxit comprobari. Neque eam continuo res desperata. & pe-
ritura dici potest, si periculum sit, ne bona distrahanter. VLPIANVS
enim

¹⁾ RITTERSHVS. ad I. 23. R. I. p. 173. ²⁾ NOODT. probab. IV. c. 3.



enim *L. 1. D. h. t.* hanc speciem refert inter negotiorum gestorum communia exempla: si quis operam det amico, ne indefensus possessionem rerum, aut venditionem patiatur.

Mihi quidem ratio aequitatis, qua iudicij rigor temperatur, haec potius videtur, quod *affectione coactus* dicatur negotium gestisse, qui de dolo solummodo tenetur. *Affectione* nimur, quod *CICERO* de inuentione *l. 2. c. 7* ait: videtur plerumque motus subitarios notare, atque animi impetum, non tam ex federe amicitiae, quam ex re insolita, & repentina, qua plerumque magis commouentur homines, profectum. Ita maritus *affectione* dicitur commotus, quem aliquid in uxorem aegram, atque decumbentem, exogauit *l. 13. C. neg. gest.* quam *SEVERVS & ANTONIVS* domesticam affectionem *l. 1. C. eod. PAPINIANVS l. 54. D. mand.* affectionem adpellauit; ut affectioni, non nisi in rebus trepidis locum relinquamus. *Affectione* igitur coactus videbitur, qui mirifice animo commotus, se retinere non potuit, rem peruenisse ad extremum sensit; quamuis non fuisset aminus se immiscendi, tactus miseratione sortis humanae, in periculo subuenit. In illa perturbatione rerum, durum est, diligentiam desiderare: res impetu geritur, differri non potest, sufficit, vt cunque saluam in periculo seruari. Tunc igitur placet *LABEONI*, satis esse, quod is, ad quem res illa non pertinet, bono animo accessit: maxime, cum generaliter in bonae fidei iudiciis, si quid insoliti incidat, deseramus iuris regulam. & propter ea, quae circumstant, benignitati locum demus. In ceteris speciebus industria & cura singularis versabatur.

§. IX.

Idem probatur ex constitutio- nibus principi- pum, Exactam igitur diligentiam praestari veteres volebant. Sed haeret tibi scrupulus, quod putas, postea a praecepsis amicitiae, desictum. Falso. Ne longus sim, utar verbis Constantini, qui *l. 21. C. mand.* aliena, inquit, negotia *exacto* officio geruntur: nec quid uam in eorum administratione neglectum, ac declinatum, vacuum est culpa. Vides ex principiis mente omnem culpam in alienis negotiis praestari. Ne quis cauilletur, de mandato duntaxat Constantinum praecepsile; audiamus, qui supra a me commemoratus est, *PHILIPPVM l. 24. C. de usur* in hunc modum verba facientem: si mater tua, maior annis constituta, negotia, quae ad te pertinent, gesserit, cum *omnem diligentiam* praestare debeat, usurpas, pecunia tua, quam administrasse fuerit comprobata, praestare compelli potest. Audis queri, de qua culpa mater teneatur, quae filii negotia gesserit? Rescribit imperator: *omnem* videlicet praestari in negotiorum gestorum actione: adeoque matrem de usuris omnibus teneri. Non poterat imperator vii oratione magis luculenta; in qua, si quis inueniat occasionem cauillandi, frustra leges ab

ab imperatoribus scribuntur. Sed inuenit tamen aliquam RITTERSHVSIVS, n^o) lepidus omnino in hoc argumento. Ait, verba pro substrata materia, quod dicunt philosophi, accipienda. Tractari de negotiis gestis a PHILIPPO: in his *culpam leuem* solummodo venire: itaque PHILIPPI sensum esse: matrem de *omni culpa*, quae praestetur in negotiorum gestorum iudicio, id est, de leui culpa solummodo teneri. Igitur, si RITTERSHVSIVM sequaris, dum proponitur, quae culpa versetur in negotiorum gestorum actione? responderet imperator, omnem in illa culpam versari, quae versari solet in illa actione. Quis non videt, orationem in circulum redire, nugas agi, indignas imperatoris maiestate, omnia perverti, & quae est pestis jurisprudentiae, nihil sanum, nihil intactum facile relinquere.

Sed RITTERSHVSIVS porro argutatur. Ait, matrem illa lege, ut usurpas solueret, damnatam. Hoc non esse exemplum culpae leuissimae praestandae: cum in omnibus bona fidei iudiciis ob moram usurae debantur. Parum abest, quin recte hoc obseruatum a RITTERSHVSIO adfirmes. Sed non cogitauit bonus vir, usurpas quidem ob moram in omnibus bona fidei iudiciis versari; sed tamen ex natura contractus tempus aestimandum esse, quo mora in quois negotio admissa videatur? Nempe hoc singulare in iudiciis, in quibus exactissima diligentia praestatur, quod totius temporis usurae exigantur; quia homini diligentissimo conueniebat, postquam pecunias accepit, statim quaerere, ubi illas possit fconerari. Contra, in ceteris contractibus plerisque, debitori damus temporis aliquam vaccinationem. Recte ergo PAVLLVS l. 1 sent. tit. 4. §. 3. ait, quod, qui pecuniae negotium gerat, usurpas totius temporis praestare teneatur. Hanc viminum tractauit speciem PHILIPPVS d. l. 24. C. d. usur. & rescripsit: satis esse, si probetur in negotiorum gestorum iudicio, matrem pecunias administrasse: & hinc peti usurpas posse, omnino omnes, ex quo tempore administravit addi que rationem, quia omnem culpam, id est, etiam leuissimam debeat praestare. Hoc igitur loco usurarum praestatio diligentias exactissimae continet exemplum.

Vt quisque ingeniosus est, quaerit alios atque alios colores. RITTERSHVSIO venit in mentem DIOCLETIANI & MAXIMIANI aliquod rescriptum, qui l. 20. C. d. neg. gest. tutori aiunt, similis non habetur, qui citra mandatum negotium sponte gerit. Satis enim abundeque sufficit, si cui in paucis amici labore consulatur. Sed ex specie ibi tractata intelligitur, frustra illum in hac lege praesidium opinionis quaeſiuſſe. Gesserat aliquid negotia OCTAVIANAE, cum sui juris facta esset: non tamen exegerat pecuniam a debitoribus, quia aduersus illos cum cautione de rato pro absente

n^o) RITTERSH. ad l. 23. D. R. l. p. 173.



sente non potuerat sine mandato extraneus admitti. Dubitabatur, an de his, quae ille non gesserat, siue, quae omiserat, negotiorum gestorum actione teneatur? Rescribunt principes, non teneri: adduntque rationem, quia propter exceptionis obstaculum non habuerit facultatem conueniendi debitores: satis esse, si in paucis, quae in mea potestate fuerint, meo labore consuluerim amico: aliud in tutori obseruari, qui habeat conueniendi debitores facultatem. Hactenus illum, qui negotia sine mandato gerit, tutori non omnino similem haberi. Habes sensum Philippi. Igitur, non id tractatur, minorem ab illo, qui negotia gesserit, quam a tutori, diligentiam praestari; sed inter potestatem duntaxat huius, & tutoris, constitutum est discrimin, quo non laxatur vinculum amicitiae in negotiorum gestorum iudicio praetorio editio obligatum. At vero RITTERSHVSIVS incertus est, & lubricus, & non vult comprehendere. Respondet igitur, culpa tamen, leuis factam illo loco mentionem. Ut dubitari non possit, quin, qui negotia gesserit, de culpa duntaxat leui teneatur. Sed haec argumentatio facile diluitur. Aiunt enim principes: super his quidem, quae ultro quis administravit, non tantum dolum, & latam culpam, sed etiam leuem merito praestari. Audis leuissimae culpae non iniectam in tractatu de negotiorum gestorum actione mentionem. Ne te hoc perturbet; cogita, satis esse, quod illam certe non excludant. Enimuero, solemne est imperatoribus, cum ad libellos, quibus consuluntur, aliquid respondent, in rescriptis non omnia commemorare, non omnia veterum scrinia, & locos, compilare; sed multa preterire, ad illa tantum rescribere, de quibus fuit dubitatum. Apparet non consultos fuisse principes de culpae leuissimae praestatione. Idem certe l. 17. C. de R. V. responderunt, malae fidei possessorem de fructibus preceptis conueniri posse; cum nemo neget, illum de percipiendis etiam teneri. Male igitur collegaris, illa, quae praeterereuntur, excludi in rescriptis. Illud subtiliter a V. C. GERARDO NOODT est obseruatum.

Ex his, quae dicta sunt, facile tolli potest alia dubitatio ex l. 7. C. arbit. tut. a RITTERSHVSIO iniecta. Et haec enim continet rescriptum eorundem principum ad libellum, quo consulti fuerant, vitrum leuis etiam culpa in tutelae, & negotiorum gestorum virili, iudicio versetur? Hi de leui culpa responderunt: leuissimae praestatione non exclusa, sed in rescripto omissa, quod de illa quaestio non incidisset. Otium nobis facit Iustiniani recentissimum praeceptum §. i. l. d. obl. q. quas. ex contr. Ad exactissimam, inquit, quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit, talem diligentiam adhibere, quemlibet suis rebus adhibere solet. si modo alias diligenter commodius administraturus esset negotia. His verbis explosa sunt, quae in contrariam partem disputantur. RITTERSHVSIVS quidem, cum turba interpretum, haec etiam afficit, & tentat, ut peruersti possint.

Pu-

Putat enim, non regulam nimirum a **IUSTINIANO**, sed exceptionem, & singularē speciem tractari. Si obtulerit se quidam diligentior, qui comodius fuisset negotia administraturus: si probari posit, alium paratum fuisse ad gerendum; tunc denum in hoc iudicio exactissimam diligentiam versari. Verum hoc quam ineptum sit, supra est a nobis paragrapho V. disputatum. Quis enim non videt, generaliter his verbis de natura huius iudicij, non de exceptionibus, tractari. Sensus **IUSTINIANI** hic est: desiderari summam diligentiam, & teneri illum, qui negotia gessit, si probetur, alium potuisse commodius administrare. Hac locutione certum est, non exceptionem, aut conditionem aliquam, sed definitionem culpe leuissimæ in *abstracto* contineri. Familiaris enim est **IUSTINIANO** hæc formula loquendi, cum de culpa leuissima tractatur; atque etiam *§. 2. I. quib. m. re cont. obl.* occurrit. Ait imperator, „qui rem vtendam accipit, exactam diligentiam custodiendæ rei præstare iubetur; nec sufficit ei, tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis adhibere solitus est:,, si modo aliis diligentior poterat eam rem custodire. Non ausi sunt interpres hæc verba de singulari specie interpretari; sed omnes, credo, adgnoverunt, ibi regulam tractari.

§. X.

Satis credo, comprobatum est, in negotiorum gestorum iudicio *culpam* V.C. GEOR- leuissimam præstari. Sed **BEYERVS** pertinaciter in sententia aduersa perseuerat. GIO BEYE- Ait enim, cum **RITTERHVSIO**, periculum esse, ne negotia absensis RO respon- deserantur, & a nemine curentur, si gestor de minima culpa, & quæ culpæ no- detur. men vix meretur, teneretur. Videntur ipsis facilitate inuitandi potius amici ad negotia gerenda, quam deterrendi a beneficio rigidissimæ sapientiæ præceptis. Quis accedat ad negotia absensis, qui norit, se gratiam vix initurum: pro beneficio litem inminere, & iniquissimas exactiones. Quandoquidem secundum **PLAVTVM**^{o)}

*Ira sunt isti nostri divites:
Si quid benefacias, leuior pluma est gratia.
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.*

Sed liberat me respondendi verecundia idem ille **PLAVTUS**, qui alio loco p) ait:

Nimio præstat impendiosum te, quam ingratum dicier:

Hæc enim cura non absterrebit liberalia ingenia: quæ ideo colunt amicitias, vt possint fidem, & industriam, probare, pretiumque opere in ipsa vicinitudine studiorum officiorumque, inueniunt, qua secundum **TULLIVM** ^{q)} nihil in hominum vita iucundius potest cogitari. Quare, quod **TERENTIVS** ait: ^{r)}

O₂ Eum

^{o)} **PLAVT.** poen. III. 6. 16. ^{p)} **PLAVT.** Bacchid. III. 2. 12. ^{q)} **GIC.**
amic. p. 569. ^{r)} **TERENT.** præf. Heaut. v. 49.



Eum esse questum, in animum inclucem, maximum;
Quam maxime seruire amici commodis.

Neque consentaneum est, si LAELIVM audias, ullam rem honestam, ne
 sollicitus sis, vel non suscipere, vel deponere suscepsum. Quod si curam fugi-
 mus; virtus fugienda est, quae & ipsa cum aliqua cura coniungitur. Quam-
 obrem angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantum valet, vt
 tollat e vita amicitiam, non plus, quam vt virtutes, quia adserunt nonnullas
 molestias, repudiuntur: præterea, quem credis, tam obtuso ingenio, & barba-
 ro, futurum, vt cum videat, animo amico, & benevolentι alium in suis nego-
 tiis versatum, rem exigat omnino ad amissim, item continuo intentet, odium
 pro gratia reponat. Facit enim locum remissioni IULIANVS L. 6. f. 12. f.
Dih. t. Et si qui tam inepti fuerint, cogita, quod apud SENECAM poëta
 monet:

Perdenda esse multa, ut semel ponas bene.

Contra homines negligentes, & ardientes in primis propositum est elegantissi-
 mum prætoris de negotiorum gestorum iudicio edictum. Interest omnium,
 hos auocari a negotiis absentium, & ne inuolent in aliena; & res miscent, ad-
 fectas perturbatasque deserant, atque in medio relinquant, denique in summa in-
 iuria suæ temeritati titulum amicitiae prætentant, ipsa difficultate negotii, iudi-
 cique huius severitate, absterrei.

XVI.

O B S E R V A T I O N E S

DE CVSTODIA ET PERICVL

PIGNORIS.

VITEMBERGAE, D: XXVI. SEPT: A: Q: S: P: E: M DCC XXXIII.

L. 17. §. 1.
D. de pigne-
rat. a&t. non
indiget
emendatione
 V.C. GERAR-
 DI NGODT.

§. II.

*Q*uam inique comparatum est, ii, qui minus habent,
Ut semper aliquid addant dñioribus.
Quod ille inciatim vix demens de suo,
Suum defraudans genium, comparat miser,
Id illa uniuersum abripiet, haud existimans
Quanto labore partum. a)

Ita

¶) CIC. di amic. l. c. 1.) SEN. Benef. l. 1. c. 1. f. *a) TERENT. phorm.*
act. I. sc. 1. y. 7.



Ita sunt hi nostri dñites: in primis, cum indigentiores aeris alieni vinculis obstrictos, atque alligatos, tenent. Instant, vbi dies venerit, urgent cum vociferatione, minitantur, nihil omittunt: nec tantum sc̄enore miseros trucidant; sed etiam, ne quid hominibus infelicissimis supersit, statim, priusquam incipit deberiri, egentes spoliant *pignora extorquent*: hæc, si quis crudelitati color obtendi possit, ne quidem reddunt debitori, quamvis liberata, & soluta: certe, non nisi negligenter custodita, atque tandem depravata, postquam etiam de tertio satisfactum est, ægre restituunt: denique non quiescant, donec, quod PHAEDRVS ait,^{b)} totam prædam sola improbitas auferat. Publice interest, rapacitatem illam creditorum coerceri. Et coerciti sunt sapientissimis præceptis: maxime, pigneratii; ne inhunianus, & insolentius rem gerant: ut non modo reddant pignus, debito soluto; sed etiam, quod ait VLPIANVS L. 24. s. 3. D. de pignerat. act. si male pignus tractauerint, aut debilitauerint, atque deterrui fecerint, pigneratatio iudicio de *culpa* terieantur.

Sed V. C. GERARDVS NOODT,^{c)} alias insigniter de arte nostra meritus, mirifice laborat, ne creditores, qui pignus acceperunt, *culpam leuissimam* præstare iubeantur. Obstabat ipsi VLPIANVS, qui L. 13. s. 1. D. de pignerat. act. præter culpam, etiam custodiā pignoris desiderabat. „Verba „VLPIANI: venit in hac actione & dolis, & culpa, ut in commodato: ve- „nit & custodia: vis maior non venit.. Timet Vir clarissimus, ne quis, cu- stodiæ necessitate imposta, exactissimam diligentiam a creditoribus expectet: &, quia commodati mentio fiebat, cauet, ne quis in pighore, aut idem, aut plus etiam, quam in commodato, exigi posse, arbitretur. Igitur viri, & se- cat, & mutata literula, discrimine etiam interpunctionis pertuerso, ita legendum censem; venit in hac actione & dolis & culpa: at in commodato venit & custo- dia; vis maior non venit.

Nemo non videt, vim factam VLPIANO, nihil tale promerenti. Ne- que enim peccavit, dum dixit, *custodiā* in hoc iudicio venire. Eadē enim sententia DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS rescripserunt: creditorem, sicut vim maiorem pignorum præstare non habeat necesse; ita dolum & culpam, sed & *custodiā*, exhibere; merito cogendū L. 19. C. de pign. Neque offendere potuit clarissimum interpretem, quod pignus commodato videat collatum, quod huic oppositum malebat. Enim tiro non ibi de gradu culpæ, qui præstandit sit, sed generatim, de dolō, & culpa, tractabatur, de cuius vtritusque præstatione agitur in utroque contractu; ut haec tenus recte postuerint pignus, atque commodatum, inter se se comparari. Nihil igitur vitii est in verbis VLPIANI, quod virum clarissimum adducere possit, ut duriori remedio utatur. Contra, si eruditissimi Belgæ emendationem accipias, in plura incommoda incidit lex pulchra & aperta. Quis enim credit, VLPIANVM, dum de pigno-

O 3:

re

^{b)} PHAEDR fab. I. I. fab. 5;^{c)} NOODT probab. l. II. c. 4. p. 111.

re exponit, dilapsum esse, sine causa, a pignore ad commodatum, & quod in hoc custodia veniat, vis maior non veniat, loco alieno docuisse: cum vtrumque etiam de pignore recte affirmetur, & commodius referri possit ad ipsam pignoris, quam **VLPIANVS** susceperebat, tractationem.

Verum, vt dixi, id agit Vir Clarissimus, vt probet, culpam duntaxat leuem in pigneratio iudicio versari. Candidior fuit **CVIACIVS**,^{d)} qui, vt in commodato, ita & in pignore, distinguendum creditit, vtrum dantis, an accipientis tantum, an vtriusque causa contrahatur; &, si accipientis causa factum sit, culpam leuissimam, sin dantis, latam, sin vtriusque, leuem nimirum culpam, cum a creditore pigneratio, tum a commodatario, praestari. Aequiores etiam Graeci interpretes, qui, dum durat ius pignoris, de leuissima, cum solutum est, de leui culpa creditorem teneri voluerunt.

Non tamen ausim alterutri parti me adiungere; cum vtraque interpretatione non nihil habeat difficultatis. Certissimum est, culpam in pignore arbitrio iudicis, & boni viri, aestimandam, & prospiciendum, vt neque delicatus debitor, neque creditor onerosus audiatur. *I. 25. D. de pignerat. act.* Quod cum **VLPIANVS** de contrario pignoris iudicio praecipiat, multo magis sequendum erit in directo.

Recte obseruat **B. BEYERVS**,^{e)} dari quosdam gradus etiam exactissimae diligentiae: adeoque difficile esse, vt vna circumscriptione omnia, quae eo pertinent, definiantur: sed iudicis partes & aequitatem in aestimatione diligentiae desiderari. Neque tamen ideo contempnenda sunt regulae, quae de culpac praeestatione a veteribus traduntur; sed eo pertinent, vt iudex in aestimatione, prout res ferat, modo pronior ad adstringenda vincula obligationis esse debat, modo etiam facilior in illis laxandis, atque remittendis.

Exponam breuiter, quid mihi videatur. Dissimulari non potest, minorem in pignore, quam in commodato, diligentiam desiderari: non obscure enim *§. 4. I. q. mod. v. contrah. obl. & I. 5. §. 2. & I. 18. pr. D. comod.* pignus, atque commodatum, in illo argumento sciunguntur; sed & hoc certum est, plusculum, quam leuem culpam, a creditore pigneratio, &, praeter illam, etiam custodiam desiderari: solos casus fortuitos remitti. Id enim, cum aliis argumentis omnino multis, tum *I. 19. C. de pignor. & I. 7. C. de pignerat. act.* comprobatur; vt credam, culpae quidem leuissimae quandam gradum etiam a creditore pigneratio praestari, nec sufficere, si vulgarem illam diligentiam, quam suis plerisque rebus accommodare solet, adhibuerit: sed iudicis tamen arbitrio permitti, vt benignius subinde de creditore pigneratio, quam de commodatario, statuat. Ita mihi sedet. Vtrum recte, deinceps apparebit.

§. II.

^{d)} **CVIAC.** obs. *I. 19. c. 24.* ^{e)} **BEYERVS** posit. ad ff. p. 285.



§. II.

Dubia sunt pleraque legum Romanarum præcepta, quibus leuem duntaxat culpam a creditoribus in pignore præstari vulgo contendunt. Imperator *l. 4. s. 2.* *difere dici-* *I. q. mod. re contr. obl.* „sufficere ait, si ad pignus custodiendum exactam di-*tur, leuent* „ligentiam adhibeat creditor; quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito pi-*duntaxat* „gnus amiserit, securum esse., Sed, ne credas, exactam diligentiam, medio-pignore præ-*culpam in* *crem illam, qua leuis culpæ præstatione defungimur, duntaxat contineri.* In-stari. certa sunt hæc verba, & modum ex negotio, cui adhibentur, accipiunt. Idem imperator *l. 5. s. 2.* *VLPIANVS l. 5. s. 2.* accepit, sane exactam diligentiam custodienda rei præstare iubet: quem tamen nemo dubitat, plerumque culpam leuissimam præstare. *VLPIANVS l. 25. D. de pign. act.* & *GAIVS l. 18. pr. D. commodat.* item *VLPIANVS l. 25. D. de pign. act.* dolum & culpam a creditore exigunt; sed expeditum est, imperfectum hunc sermonem esse, & culpæ nomine, si absisse ponatur, non semper leuem culpam, verum interdum omnem diligentiam, prout naturæ negotii conuenire videatur, indicari. Magis *PAVLLVS* turbare videbitur, qui *l. 14. D. de pign. act.* ea exigi a creditore ait, quæ diligens patresfamilias in suis rebus soleat præstare. Quibus verbis diligentiam communem, & leuem culpam plerique credunt contineri. Sed nihil hoc me mouet. Diligentes patresfamilias aliis atque aliis rebus aliam diligentiam adhibent, his solertem, & solicitam, & circumspicitissimam, illis remissiorem: prout aliæ atque aliæ maioris pretii, maioriisque studio dignæ, esse videantur. Et hæc igitur verba, minus plenam orationem continent, atque interpretationem ex illis accipiunt, quæ speciatim de pignore, & creditoris officio dicuntur. Ita & *PAPINIANO* occurri potest, qui soluta pecunia, ait, possessionem pignoris a creditoribus restituendam: nec quidquam amplius desiderari *l. 40. s. 2. D. de pign. act.* Nimirum, *PAPINIANVS* his verbis casus fortuitos exclusit, modum diligentiae non definit. Imo vero, pignus duntaxat restituendum est, neque quicquam amplius debetur; sed restituendum est in eadem causa: non deterius: cum, qui rem deteriorem restituit, non restituisse videatur *l. 3. s. 1. D. commodat.* Nusquam igitur in pigneratio iudicio exclusam omnino culpæ leuissimæ præstationem, deprehendo.

§. III.

Enimuero, multa me adducunt, ut credam, adstrictius creditorem pigne-*Odiosum est* ratitum, quam ceteros, a quibus communem diligentiam exigimus, teneri. *ius pignoris,* Ipsum ius pignorum quam durum est, quam gracie, quam plenum inuidia? Au-*næque semper* ferre manu dextra, quod ægre sinistra porrexeris: beneficij gratiam crudelitate *utriusque* utilitas in perdere: cum necessitatem miserorum datis rebus mutuis adiuuare, & solari *pignore ver-* volueris, ipsos spoliare, vsu rerum suarum illos excludere, possessionibus ma-*satur.* num inicere, &, quando egestati debitoris aliqua in parte consulueris, operam dare,



dare, ut iam ex-alia parte egeat: captis pignoribus hominem nudare, fortunis exuere, non gratiae, non misericordiae locum dare: haec, inquam, omnia, tanto asperiora sunt: tantoque magis ab humanitate aliena, quanto frequentius pignora ab indigentioribus, & proxime conturbaturis, accipiuntur, atque ad illos transferuntur, quos conueniebat, etiam cum aliquo incommode, laudem liberalitatis & beneficentiae tueri. Recte MARTIALIS f) renunciat homini crudeli amicitiam, & odium pro gratia reponit, qui, cum ipsis non crederet, malebat in fundis eius spem & fiduciam collocare. Ita enim ille:

Cum rogo te nummos sine pignore; non habeo, inquis;

Idem si pro me spondet agellus, habes.

Quod mihi non credis, veteri, Tuncleme, sodali,

Credis colliculis, arboribusque meis.

Ecce, reum Carus te dicitur: adgit agellus.

Exilii comitem queris? agellus ear.

Caue, accuses bilem, atque incontinentiam, poëtae. Qui enim poteras magis pudorem onerare hominis ingenui & probi, sed pauperis, & cum fortunae iniquitate conflictantis, quam, cum non dissoluto debitori fidem negares, qua sola humanae vitae consortio, & societas, quasi quodam vinculo continetur. Enimvero homini fidem detrahere, nae, illud est innocentem occidere, & prope indignum iure societatis, atque civitatis communis, iudicare. Quanto accommodarius ad hominum coniunctionem divinissimus legislator g) moderationem creditoribus praecepit, ut memores humanitatis, pignora ab iniuris ne capiant, neue domum debitoris, capendi pignoris caussa, introeant; sed ut foris exspectent, & cum miseratione quadam ab offerente accipiant: etiam non solutum subinde, ante solis occasum, indigentioribus restituant: communi hominum sorte & calamitate attingantur. Quapropter, si rationem naturalem audias, fere non fauendum est creditoribus plerisque; sed consulendum oppressis, atque laxanda nonnihil vincula, quibus debitores alligantur.

Sed ais: pignus tamen *vtriusque* utilitatis caussa contrahi: haec talia neutri omni o parti odiosa esse; sed aequationem iuris, quæ præcipua est lea societatis continere. Enimvero, si rationem non contemnis, ausim negare, quod semper *vtriusque* utilitas in pignore versetur. Etsi enim hoc videretur debitoris esse commodum, quod, ut ait imperator, f. 4. I. q. mod. re contr. obl. facilius ei pecunia credatur; quis non vider, hanc utilitatem debitori ingenuo, & indigenti, a creditore etiam sine pignore deberi. Quæ igitur utilitas esse potest pignoris, illud per pignus impetrare, quod ab altero, si humanitatis rationem habere, & suæ auditati temperare voluis- set,

f) Epigr. l. XII. 25.

g) Deut. 24, v. 6. 10. 11. 12. 13.



set, etiam citra pignus exspectari potuisset. Imo vero certissimum est, si de subili iure ciuili disputeremus, nunquam omnino in pignore debitoris utilitatem versari; sed solius duntaxat creditoris. Separandi enim sunt duo contractus: alter, quo debitum contrahitur, qui potest utriusque commoditatem continere; alter accessorius pignoris, quo id agitur, ut pignus soluto debito in specie restituatur: qui ob solius creditoris securitatem, seu, ut *IVSTINIANI* verbis utar, quo magis in tuto ipsi sit creditum, initur.

Igitur, si solum contractum pignoris, separatum a principali, spectaueris; temere affirmatur, utriusque utilitatem in pignore versari. Contra, benigniori iure, spectato totius negotii ambitu, dici potest: debitoris ignoti, maxime peregrini, aut, qui dubia fama sit, ut non facile conditionem mutuae pecuniae inuenturus esse videatur, interdum interesse, ut dato pignore ipsi facilius credatur. Sed ne ciuili quidem iure id semper tuto affirmabis: sunt enim eiusmodi species complures. Finge: te donare homini ignoto, aut liberalitatis exercendae causa honorarium promittere, & praeterea, ne quid dubitet, fidem promissi etiam pignore firmare; (*MARCIANVS* enim *l. 5. D. de pignor.* me docuit, ad quamcunque obligationem subinde adiungi pignus posse;) vides, tibi nec seri, nec meti in illo negotio: virtutis, & magni animi ostendendi, caussa pignus a te obligatum esse, nihil ad te utilitatis, omne ad aduersarium, spectare. Quod ut honeste a te factum, ita non sine rusticitatis nota acceptum est a tuo creditore. Et profecto magis creditoris interest, tuto collocari pecunias, quam debitoris, pignore parato ubiuis non difficulter fidem inuenturi, refert, sibi pecuniam credi.

— *fenerator Alfius,
iamiam futurus rusticus,
omnem rededit idibus pecuniam,
quarit calendis ponere b)*

Hoc agnoscit *POMPONIVS l. 6. pr. D. de pign. act.* qui, si conuenerit, ut fundum pigneratium tibi vendere liceat, tua, id est, creditoris, tantum causa, illud cautum esse affirmat, ut ne quidem necesse habeas, ut vendas. Sed, cum teste *VLPIANO l. 4. D. de pign. act.* semper distrahere pignus liceat, si modo non conuenerit, ne liceat; apparet, omne pignus, creditoris gratia in primis, constitui. Que pacta, si *IVSTINIANI* philosophiam sequeremur, ita accipienda essent, ut & debitoris utilitatem continent, quo facilius ipsi pecunia crederetur. Sæpe igitur, & plerumque, creditoris tantum gratia pignus contrahitur. Nec timeo *IVSTINIANVM*, qui *l. q. m. re contr. obl.* utriusque gratia pignus dari, affir-

b) *HORAT. Epop. II. v. 67.*

Easc. III.

P



affirmavit: neque cum V L P I A N O controversiam exercebo, qui l. 5. §. 2.
D. commodat. ait, in empto, in locato, in dote, in pignore, in societate, verti vtilitatem vtriusque, adeoque & dolum, & culpam, a partibus præstari. Familiare enim est & imperatoribus & ICtis, negotii naturam subinde, ex illo, quod aliquando verum est, & interdum accidere solet, desinire: sed hæc talia ius non faciunt. Cum enim naturam negotii exponunt, legibus, vt illud sit, quod non est, efficere non possunt, neque naturam omnino in potestate habent. Imo, ne quidem hic ipsis animus fuit, vt hæc talia perpetuo vera esse nobis persuadeant. Eodem fere sensu de commodato & imperator, & ICtus, verba fecerunt, illud solam eius, cui commodatur, vtilitatem continere; cum neuter neget, & ob dantis, & ob vtriusque, vtilitatem commodari posse: vt puta, vt sponsa mea crnati mei honoris gratia procedat, aut communis amicus ad coenam inuitetur.

Apparet igitur, ex negotii formula nihil certi de vtilitate pignoris definiri posse, sed illam ex his, quæ in qualibet specie obueniunt, subinde æstimandam esse. Neque exigua quædam dantis vtilitas efficit, vt culpa leuis tantum præstetur.

§. IV.

Pignora apud Romanos inter res charissimas & maximi pretii habita. Neque tam alienum fuit ab humanitate ingenium honestissimi, post hominum memoriam, populi, quin parendum esse rebus amicorum, abstinendum rebus alienis, pignora, ab egentibus ad se delata, summo studio seruanda, atque ab omni iniuria defendenda, cogitarent. Inde euenit, vt si rem quandam præcipuo loco habendam esse, & memoriam absentium in primis continere, crederent, illi rei nomen pignoris, pignoris charissimi, accommodarent. Cum nihil tenerius moueat hominum animos, quam muri amores; etiam quæ ab amantibus data erant, pignora appellabantur.

— — — formaque ante omnes pulchur Iulus
 Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido
 Esse sui cederat monumentum & pignus amoris. i)

Qui sensus humanitatis etiam rusticum ingenium apud VIRGILIVM testigat. k)

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
 Pignora chara sui.

Quid quod, ipsi liberi, quibus nihil magis parentibus natura commendavit, subinde pignora veteribus dicuntur: in quibus omnem & fiduciam positam habebant, quos solatium senectutis, voluptatem ætatis florentis, expectationem posteritatis continere, arbitrabantur.

Nate parum fausti memorabile pignus amoris. l)

Ipse

i) VIRG. Aen. V. v. 579.
 ep. XI. v. 113.

k) VIRG. ecl. 8. v. 91.

l) OVID. Heroid.



Ipse BRUTVS TULLIO pignus esse libertatis visus est: tanto studiosius collendus & retinendus memoria ciuium, quanto maius in libertate momentum felicitatis humanæ versari existimabat. ^{m)}

Hæc talia remissius a Romanis, aut incuriosius asseruata esse, existimas? Quibus inter res humanas vix quidquam maius & potius cogitare posse videbantur. Certe apparet, cum & ad appellanda illa, quæ homini post vitam carissima sunt, & in primis amabilia, tractum sit pignoris nomen, sancta ipsis pignora fuisse, & religiosus, quam cetera, quæ patrisfamilias diligenteris cura continentur, custodita.

§. V.

Sed, ne quis hæc dubia, atque incerta arbitretur; sequamur PAVLVM, qui l. 1. D. de R. I. non ex regula ius sumi, sed ex iure regulam, ^{Maxima diligentia} præcipit. Igitur videamus, quid exegerint a pigneratitiis creditoribus leges non obscure exigitur in Romanæ; ut intelligatur, ad quam diligentiam officia illorum referantur. ^{legibus Ro-} Primo PAPINIANVS l. 40. §. 2. D. de pign. act. soluta pecunia credito-maiis. rem restituere iubet pignoris possessionem; sed ex VLPIANO discis, l. 3. §. 1. D. commod. & l. 13. §. 1. D. de V. S. quod si res quidem reddita sit, sed deterior reddita, non reddita omnino videatur; cum dicatur proprie res non reddita, quæ deterior reddatur. Quapropter non solum ALEXANDER l. 3. C. de pign. act. creditorem, qui agrum deteriorem constituit, pigneratitia obligari; sed VLPIANVS etiam, si rem pignori datam male tractauerit creditor, vel pignus viuum debilitauerit, hoc iudicio tenevi, affirmarunt. Solos nimirum casus, qui præuideri nequeunt, exceptit ALEXANDER l. 6. C. de pign. act. & manifestissimis rationibus, rem casu perditam esse, probari cupit l. 5. C. eod. Contra, si quid insolentius commissum, si pignus repositum, vbi publice reponi non solebat, vbi non sat a periculo tutum esse videbatur; damnat DIOCLETIANVS cum collega l. 9. C. eod. tit. Ex quibus rebus apparet, nihil, quod caueri possit, nihil, nisi quod præuideri nemo queat, nihil, nisi quod casu accidisse, liquidis probationibus, ostendatur, creditoris negligentiae remitti. Quae si quis cogitet; non dubitabit, DIOCLETIANVM, atque VLPIANVM, qui l. 19. C. & l. 13. §. 1. D. de pign. act. praeter culpam communem, etiam custodiæ a creditoribus exigunt, solamque vim maiorem excusant, maius quoddam, quam ordinariam illam diligentiam, a creditore pigneratitio desiderare. Non ignoro, apud GAIUM l. 2. D. de peric. & com. rei vend. esse species quasdam, & minus plenæ, & plenæ custodiae, quarum illa dolum duntaxat, haec vero diligentiam continet; sed vbi custodia, praeter diligentiam, & culpam communem, exigunt, quod VLPIANVS & impe- rator

^{m)} c.c. Or. Philipp. 4. 192.



rator legibus supra excitatis fecerunt, tunc fere plusculum, & gradum aliquem exactissimae diligentiae, iudicis arbitrio definiendum, indicari, disputatione non indiget. Certe, si res aestimata forte data sit, etiam periculum praestandum ab eo, qui aestimationem se praestitum recepit, V L P I A N V S docet, l. 5. §. 3. D. de commod. in qua specie multo magis creditorem de culpa leuissima teneri, nemo dubitat.

§. VI.

*Segnitia
non semper
latam cul-
pam notat.*

Excusant PHILIPPVS A. & PHILIPPVS impp. l. 8. C. de pign. act. creditorem, cui nulla culpa, seu *segnitia* imputari potest. V. C. GERARDVS NOODT ⁿ⁾ *segnitiem*, manu indocti interpretis adiectam, credit, & miratur, hoc neminem, ne se quidem qui omnia videat, vidisse. Segnitiam enim latam duntaxat culpam, magnam atque nimiam illam, notare, imo stuporem, cum quis non intelligat, quod omnes intelligunt. Quare non patitur imperatores, ne quidem mortuos, nisi ex sua sententia scribere; sed vocem *segnitia* crudeli vulnere auerruncat. Dubito, ne *segnitiæ* vox ad omnem omnino culpam accommodetur. Enimuero, diserte imperator negat, illum, apud quem res deposita est, culpae nomine, id est, *desidiae*, (quae citra dubitationem *segnitiæ* gemina est) & negligentiae, sed ex solo duntaxat dolo, qui culpam latam comprehendit, depositi iudicio teneri. Nihil apertius, quam segnitiam & desidiam hoc loco latae culpae opponi, atque ab illa segregari. Sed non obscurius PAPINIANVS l. 52. §. 1. D. de fideiuss. *segnitiæ* nomine culpam medium seu leuem comprehendit: ait enim fraudem, quae & latam culpam, ut dictum est, continet, seu *segnitiem* tutoribus damnum dare. Nemo ignorat, leuem etiam *culpam* in tutela iudicio versari. Ipse FESTVS, quem vir clarissimus in partes suas vocat, segnitiam omni diligentiae aduersariam constituit: segnites, inquit, quod sine nitendo quod vrile aut honestum. Sed niti dicuntur, qui in negotio elaborant, neruos intendunt, opus vi magna, & studio insigni moliuntur. Praeterea, ne veterum, ad quos ille confudit, autoritate destitui credamus, audiamus VIRGILIVM, qui aliquando. ^{o)}

Festinate, viri, nam, que tam sera moratur
Segnites?

Audias, illis, qui non festinant, segnitiem obiici: sed festinationem facile appetit, esse officium hominis gnaui atque diligentis: adeoque segnes esse, in quibus diligentia & solertia studiosior, atque intentior, desideratur. CICERO etiam l. 1. de oratore ^{p)} de impudentia dixi, inquit, castigemus etiam *segnitiem*: ut intelligatur, quemadmodum impudentes sunt, qui libertatem

ⁿ⁾ Obs. L. II. cap. 13.
orat. 100.

^{o)} VIRG. Aen. II. v. 374.

^{p)} CIC. L. I. de

tatem orationis continere intra modestiae fines non possunt, ita *segnes* appellari, qui sine alacritate, sine concitatione mentis, sine studio verba faciunt. Idem ille etiam alio loco ^{q)} commendat, oratorem sine *segnitie* verecundum: atque *segnem* dicit, qui tunc animis cadit, cum non decet verecundari: quem spiritus & ingenium deserit, cum procedit ad dicendum. ARRIVS MENANDER l. 6. pr. D. de re mil. Delictum militis esse dicit, quod aliter, quam disciplina communis exigit, committitur: eiusque rei exempla crimina *segnitiae* & consummaciae ponit: ex quo loco apparet, omnes illos *segnes* appellari, qui minus strenue, minus diligenter, imperata perfecerunt, quam exigit disciplina militaris.

§. VII.

Vis maior non venit in pignore, nullusque casus, qui culpa vacat, & praevideri non potuit. Ita VLPIANO l. 13. s. 1. D. de pign. act. atque impe- Creditor de casu fortui- ratoribus l. 5. 6. 8. 9. C. eod. tit. l. 19. & 25. C. de pign. visum est: ne in- to non tene- tur neque ta- cum illa sine creditoris culpa ad publicas necessitates adhibita est, teste s. CAE. iniquum est VOLA l. 43. s. 1. D. de pign. act. praestari debet: imo vero ne exulta qui- ius saxoni- dem insula, quæ creditori obligata fuerat, extinguitur ius pignoris; sed, si a de- cum quod morite for- bitore restituta fuerit, secundum LABEONEM l. 35. D. de pign. iure pigno- tuita anima- ris tenetur. Præterea VLPIANVS generatim, quidquid pignori commodi /is, pignori vel incommodi fortuito accesserit, putat ad debitorem pertinere l. 21. s. 2. D. dati, credi- de pign. Quid, quod ne actionem quidem personalem amittit creditor, quam- tum, amitti uibet. uis pignore amisso l. 6. C. de pign. act. l. 3. C. de dist. pign. Neque interest, viuum pignus, an carens anima, creditor acceperit; cum nec animalium casus mortesque, quæ sine culpa accidunt, præcipiente VLPIANO l. 23. D. de R. iur. l. 5. s. 4. D. commod. a quoquam praestentur; sed grege pignori obligato, prioribus capitibus decadentibus, si totus grecx fuerit renonatus, etiam nouus pignori teneatur l. 13. pr. D. de pign. aut, omnibus intermorientibus, duret actio aduersus debitorem. Sed Saxones in illa parte a Romanis discesserunt. Placuit enim, animali, quod pignori datum fuerat, mortuo, sine culpa creditoris, non quidem id, quod interest, praestari, sed tamen creditum amitti. 3. Zandr. c. 5. Ita enim auctor speculi: Stirbt aber ein Pferd, oder ein Vieh, in der Vorsazunge, ohne jenes Schuld, der es unter ihm hatte, beweiset er das, und kan auch sein Recht dazu thun, daß es ohne seine Verwahrung gestorben sey, er gilt es ihm nicht, Er hat aber sein Geld verloren, da es ihm von vorsezt stunde, ihr Gelübde stunde denn anders. Qui locus dici non potest, quantæ iniquitatis accusatus sit ab interpretibus. Mihi videtur, ferri posse non prorsus inepta maiorum consuetudo. Ne Romanis qui- dem

P 3

q) c. c. clar. orat. 19r.



dem plane incognita, aut ab ipsis improbata fuit. ALEXANDER enim l. 6. C. de pign. act. ait, pa&to constitui posse inter contrahentes, vt debitor, pignore etiam sine culpa creditoris amissio, liberetur. Sed constat, de quibus pacisci possumus, illa etiam moribus, & legibus definiri posse, citra notam manifestae iniuriæ, & iniquitatis. Imo RAVLLVS creditorem, qui ipse pignus ceperat, & inuito debitore ratem eius retinuerat, iubet ratis periculum præstare l. 30. D. de pignerat. act. Ex quibus apparet, non penitus iniquam Romanis viam esse consuetudinem, qua creditor, amissio pignore, subinde etiam creditum amittit. Præterea Romani pignoris traditionem in quibusdam caussis venditioni compararunt. l. 1. f. 2. D. quæ res pign. & l. 16. 8. 9. D. de pign. Quæ igitur inuidia est, Saxones debtoribus, qui res suas creditoris rapacitati permisérunt, idem laxamentum, quod vendoribus datur, concessisse, vt, pignoribus casu fortuito amisis, subinde liberentur. In primis, cum creditor interdum æque, atque emptor, vsurarum loco, etiam fructus pignoris lucretur, propter quorum perceptionem aiunt ad emptorem periculum rei venditæ spectare. Certe, si rationem naturalem sequamur, creditor conqueri non poterit, si pignore, cui incumbebat, amissio, actio in debitorem ipsum denegetur; cum ipse ab initio maluerit fidem pignoris sequi, quam personæ: aut tamen tutiorem existimauerit pignoris possessionem, quam fidem debitoris. Secum queratur, quod homini non crediderit, sed spem in AGELLO eius posuerit, aut in insula, aut boue, quem pignori accepit: quo tradito putauit, se suum perdere non posse. Durum est, debitorem, hominem plerumque rerum omnium egentem, a creditore non solum fœnore necari, sed etiam pignoribus, & fortunis, spoliari: & præterea etiam ex contractu conueniri, adeoque in triplex damnum incidere, crudelitate debtoris & fortunæ. Multo rectius MARTIALIS, loco a me supra indicato, in pignore accepto adquiescere iubet creditorem, qui suam fidem contempserat. Neque enim iniquum est, vt creditor viam, quam elegit, ambulet, &, pignore arrepto, fortunam pignoris sequatur.

Sed maxime mortuis animalibus, de quibus tractat auctor speculi, creditum amitti, æquitas insignis videtur postulare. Enimuero, si magnam veterum paupertatem cogites, Saxonum in primis, quorum artes vsu militiæ, & cura ruris auiti, diuitiæ equo forte, quo in hostem veherentur, & exiguo grege pecudum, quo familiam alerent, continebantur; merito severius statutum est in creditores, immemores humanitatis, qui debtoribus etiam equos, etiam pecudes, quibus fere solis vitam tolerabant, abstulerunt: quibus obligatis, sua omnia, imo, quod sanctissimus legislator ait, Deut. 24, v. 6. animam suam, & illum, quem trahebant, spiritum, obligauisse videbantur. Non placuerunt eiusmodi pignora Romanis: certe nolebant, generali obligatione supellestilem, vestem,

ne-

necessaria ministeria, & quæ ad usum quotidianum habeantur, contineri. l. 6.
& 7. *D. de pignor.* Pie etiam CONSTANTINVS, item HONORIVS &
THEODOSIVS l. 7. & 8. *C. quæ res pign.* illa, quæ ad culturam agri perti-
nent, bones aratores in primis, pignoris causa de possessionibus abstrahi, prohi-
buerunt: postea etiam quadrupli pena in illos, qui in res eiusmodi vi invadant,
constituta, auth. agricultores C. eod. tit. Quis igitur faueat crudelitati credi-
toris, qui ne equo quidem & pecudi, hominis egeni, id est, ne vita quidem
debitoris, in summis necessitatibus, pepercit? Multo rectius constitutum est,
vt, in penam morositatis suae, pignore amitto, etiam debitum amittat: ne-
que ideo miseratione dignus erit, cum potuisse, ne mortuo pignore creditum
amitteret, pacto interposito, sibi prospicere. Quod cum intelligeret Serenissi-
mus Legislator Augustus P. II. C. El. 26. non prorsus damnauit veterem con-
suetudinem; sed fraudes tantum improborum, qui lege abutebantur, & inter-
dum de industria pecus morbidum creditoribus pignori tradebant, vt dein mor-
tuo pignore liberarentur, instissime notauit. Weil aber solche Ordnung nicht
allein den gemeinen beschriebenen Kaiserlichen, sondern auch denen natürli-
chen Rechten etwas zu wider läuft; so wollen wir, auf untermäigste Erin-
nerung unserer Verordneten, die Disposition des Sachsen-Rechts in diesem
Fall wieder aufgehoben, demselbigen derogiret, und daneben verordnet ha-
ben, daß fortan, nach gemeinen Kaiserlichen Rechten, disfalls gesprochen
und erkannt werden soll. Ex hac enim causa merito emendata est lege san-
ctissima vetus, ceteroquin non penitus inepta, consuetudo. Illud expeditum
D. de aleat. casu amissis, nihil viatoribus deberi.



XVII.

DISSERTATIO

DE

TRANSLATIONE MORTVORVM
PER TERRITORIVM ALIENVM.

AD LEG. 3. §. 4. D. DE SEPVLCHRO VIOLATO.

VITEMBERGAE, AD DIEM IVLII A. Q. S. P. EST, MDCCXXXIV.

§. I.

*V*ulnus in funere patris patriæ, *Augusti* II. cuius memoria pietate ci-
nium, gloriaque rerum gestarum, consecrata, atque aduersus omnem obliuio-
nem munita, vereque immortalis est, superiore anno acceptum, haud ita pri-
dem recruduit, cum augusti corporis reliquiæ ex loco, in quo temporis gratia
depositæ erant, Cracouiam, in tumulum regum Poloniæ, quasi æternam in se-
dem, & domum, ^{a)} quo nomine veteres locum sepulturæ perpetuæ destinatum
appellabant, inter ciuium, & exterorum, planctus & lacrymas, & clamatio-
nes, transferrentur. Quæ res tanto magis affectit Saxones, tantoque altius in
animos descendit, quanto maius rex indulgentissimus, atque post hominum me-
moriā optimus, apud bonos omnes reliquit desiderium sui, & quanto magis
conuenire nobis videbatur, vt tanti *regis*, etiam defuncti, corpus, inter tot re-
giarum atque incomparabilium virtutum monumenta, quibus omnis ætas illu-
strabitur, ad posteritatis memoriam, & gloriam gentis nostræ, quæ hoc vno
rege mirifice aucta est, in tumulo maiorum, in sede patria, afferuaremus. Sed,
quandoquidem fortuna nobis mortuum inuidit, cuius viuentis beneficiis innu-
meris, atque immortalibus, ornati sumus; hac consolatione utimur, quod vi-
uam eius, & præsentissimam, imaginem in Augustissimo *rege*, filio, *Augu-*
sto III. patre patriæ longe clementissimo, intueamur, fructumque felicitatis,
quam ipse nobis peperit, dispensatore rege, tanti nominis herede, capiamus.
Interea, cum pompa, & ceremonia, qua corpus regis immortalis, iustæ & per-
petuæ tradendum sepulturæ, more maiorum transuestum est, versaretur ante
oculos, & sub idem fere tempus ad ordinem ICtorum, in hæ academia, acta
ab exteris transmitterentur, quibus de iure permittendi, vt mortui corpus per
territoria oppidorum transuehi posset, disceptatum erat; venit in mentem, al-
tius

^{a)} L. 40. D. de religios. l. 4. C. sepulch. viol. G R V T. insc. f. 790. n. 5. it. 903. n. 6.



tius repetere morem transferendi reliquias, & quorum auctoritate illud fieri debat, commentatione luculenta comprobare; vt sensum, & significationem pietatis, ac doloris nostri, cum aliqua spe vtilitatis, coniungamus.

§. II.

Romani quidem tanto diligentius locum quieti æternæ ^{b)} deligebant, *Non info-*
quanto magis, gens dedita religionibus, *animas*, corpori superstites, attingi ^{tens apud}
fenu illorum, que reliquis corporis accidissent, arbitrabantur. Inprimis, vt ^{Romanos} *translatio*
inter suos, & familiares, in tumulo maiorum, in patria quiescant, expetendum ^{reliquiarum.}
esse, crediderunt. Hinc toties corpora tralata ^{c)} corpora collecta, vt in patria
deinde reponantur ^{d)} ossa exportata ^{e)} ossa in urbem relata, & sepulchro con-
dita, ^{f)} ossa ex Sardinia translata ^{g)} reliquias Romam lata ^{h)} reliquias traie-
ctas, ⁱ⁾ veteres apud **GRUTERVM** lapides loquuntur. Certe **OVIDIUS**
NASO, ne sibi post mortem inter umbras Sarmaticas oberrandum sit, timuit,
&, quia illud omni exilio, atque ipso animæ interitu, durius esse videbatur,
vt ossa Romam in urna referantur, coniugi præcepit. ^{k)}

Atque uinam pereant animæ cum corpore nostræ,
Effugiatque audios pars mili nulla rogos!
Nam, si morte carens vacuan volat altis in auram
Spiritus, & fami sunt rata dicta senis;
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras,
Perque feros manes hospita semper erit,
Ossa tamen facio parua referantur in urna.
Sic ego non etiam mortuus exulero.

Quod ne quis poëtæ duntaxat inceptæ vanitati tribuat, audiamus **VLPIANVM**,
qui, quamuis *l. 14. §. 3. D. de religiis.* sumptus funeris causa factos terminis angustis circumscribat, illosque tantum admittat, sine quibus funus duci non possit; tamen eadem lege, *§. 4.* etiam impensam peregre mortui, quæ facta est, vt *corpus perforetur*, itemque si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum, id est, interprete **PAVLLO** *l. 40. D. eod.* deponendum, donec mortuus alibi sepeliatur, factum sit, funeris impensam esse affirmat, illique sumtui priuilegium tribuit: vt intelligatur, non hoc superuacuum: aut inutile, & superstitionis, Romanis visum fuisse, sed necessarium omnino, & legi humanitatis conuenientissimum, vt reliquæ demortuorum in tumulum maiorum perforantur. Certe **POMPONIVS** *l. 112. §. 2. D. de condit. & demonstrat.* adscribi hanc conditionem legatis solere, ait, vt certa pecunia in funus, impensam-

^{b)} **GRVT.** inscript. f. 525. n. 6. & 7. 567. n. 8. 580. n. 3. & alibi passim.
^{c)} **GRVT** inter. f. 662. n. 8. ^{d)} Id. 607. n. 1. ^{e)} Id. 871. n. 2.
^{f)} Id. ibid. ^{g)} Id. 789. n. 1. ^{h)} Ibid. 594. n. 7. ⁱ⁾ Id. 578.
n. 1. ^{k)} **OVID.** lib. trist. III. eleg. 3. v. 60.

Fasc. III.

Q



famque *preferendi corporis* in aliam regionem, daretur: quæ nisi exsoluator, legatum non deberi. Extrat testamentum ciuiis Romani apud SCAEVOLAM, l. 30. f. 2. *D. de adim.* Et *transf. leg.* quo ab heredibus petierat, vt, si in prouincia deceſſisset, ſexaginta Lucio Titio darentur, vt is *corpus* eius curaret in patriam *reportari*: & adiectis codicillis, vt, si in via aliquid humanitus accidiffet, *corpus* in Campaniam, & monumentum filiorum, *transuehi* curarent, postulauerat. Quæ ſuperſtitio, inducta a Græcis, videtur fuſa per gentes. & oppreſſiſſe omnium fere animos, hominumque imbecillitatem occupaffe. Enim vero Græci, teste SVIDA¹⁾ atque HARPACRATIONE, τὰς ἀπεισεγημένας τῶν πορ-γονῶν τάφων, illos, qui maiorum tumulo exclusi, ἀποτάφος, ſemotos a ſepulchro, cum quadam ignominia, aut certe triftiſſimæ conditionis, nota; appellabant. Quid, quod Athenienses illud pene ſenſum continere crediderunt, conſtituta lege, vt decoſtores, & qui patrimonium conſumperant, ταφῆ ἐν ταρεῖδι, ſepulchri in patria honore, indigni iudicentur: quæ res Democritum, teste DIOGENE LAERTIO²⁾ mirifice commouit, atque, vt bene mereretur, illamque maculam eluere ſtuderet, concitauit. Quod cum imitarentur etiam Romani, quo quique ſublimiori in gradu fortunae, atque dignitatis, erant conſtituti, tanto magis, vt conderentur in patria, operam dederunt, principes inprimis, & quicunque e domo Augusta prodierunt. Ipsiſus Octauii Caſarisi AVGUSTI corpus, prodente TRANQVILLO,³⁾ decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bouillas vsque deportarunt noctibus: a Bouillis equeſter ordo fuſcepit, vrbique intulit: mox cremati corporis reliquias primores ordinis equeſtris collectas in Mausoleo conſiderunt. DRVSVM, patrem Germanici, Auguſtus, asperrimo hiemis tempore, Ticinum vsque obuiam progreſſus, mortuum excepit, neque abſcedens a corpore, deduxit in vrbem, defletum in foro, laudatum pro roſtris, omnibus ornamentiſ cumulauit: quod TACITVS⁴⁾ factum eſſe maiorum, atque iſtituto veterum, teſtatur. Germanici cineres Agrippina transuexit Romam, & tumulo Auguſti intulit⁵⁾ accenſis hominum ſtudiis, in publica omnium bonorum comploratione. Cuius honoris ſenſus etiam ſeſminas videtur tetigiffe. Certe Nero, lenitatis documentum editurus, permifit, vt LOLLIAE PAVLLINAE,⁶⁾ quae cum Agrippiana de matrimonio principis certauerat, ⁷⁾ exulis, cineres reportarentur. Praetereo cetera, quae vulgata ſunt, & omnibus antiquitatis monimentiſ continentur.

§. III.

Publica ceremonia Solent animi imbecilli, quanto magis incerta ſunt, quæ timent, tanto maioribus ſubinde ſuſpicionibus accendi. Dici non potest, quam ſuperſtitioſa fo-

1) SVIDA ſ voce: ἀπόταφος, t. I. p. 396. 2) DIOG. LAERT. in vita Democriti l. IX. ſegm. 39. p. 571. 3) SVETON. in vita Aug. C. 100. 4) TAC. annal. III. c. 5. 5) TACIT. l. III. annal. c. 1. & 4. 6) TACIT. annal. XIV. 12. 7) TACIT. ann. XII. 22.



solicitudine cauerint Romani, ne, dum pietatis cauſa reliquias transferrent, alioua mortuus
 quid committeretur, quod ipliſ effet piis manibus molestum. Igitur totum hoc ^{transfere-}
 negotium plenissimum est religionum, & ineptiarum. Primo, ne, dum moue-
 retur corpus, illud quisquam nudum inspiceret, vetabant; quandoquidem, praeci-
 piente PAVLLO, l. 1. sentent. tit. 21. ſ. 4. & l. vlt. D. de sepulch. violat.
 qui corpus perpetuae sepulturae traditam, vel ad tempas alicui loco conmen-
 datum, nudauerit, & solis radiis ostenderit, piaculum committit, ideoque, si
 honestior sit, in insulam, si humilior, in metallum datur. Imo illi, qui cor-
 pus Germanici, etiam antequam cremaretur, & sepulchro traderentur reliquiae,
 in foro Antiochenium nudauerant, & vulgi oculis contrectandum permiserant,
 vt de signis beneficij cognosceretur, reprehesionem Tiberii non effugerunt: ¹⁾
 cum & Graeci, teste SVIDA, ²⁾ corpus mortui, θεάμα τῷ ἡλίῳ γέδαμη φί-
 Acy, ingratum soli spectaculum esse, arbitrarentur. Eodem confilio Demetrius ³⁾
 mortuos ante solis ortum efferre iussit; ne deorum manum religio conspectu
 hominum contaminetur: vnde faces postea, etiam cauſa abrogata, funeribus
 adhibitae videntur, quia moris fuerat, noctu mortuorum corpora cremare:
 quod FORNERIVS obſeruat. ⁴⁾ Morem reduxit IVLIANVS l. 5. C.
 Theod. de sepulch. violat. qui noctu cadavera efferri iussit, cum & obuiis inter-
 diu grauis sit cadaveris, & pompa funebris, conspectus, & mortuorum non in-
 terfit, quo tempore omnino efferantur, illi denique, ad quos lugendi officium
 pertinet, commodius, & verius secreto, quam cum suspicione ostentationis, in
 concursu hominum, deflere funera suorum posse videantur. Certius ad sumptus
 minuendos pertinuit, quod corpora ante solis ortum efferebantur. Illud &
 CICERO affirmat, ⁵⁾ qui Demetrium sumptus funeris non solum pena, sed
 etiam tempore, cum ante lucem efferi iussisset, minuisse, tradit: & FESTVS ⁶⁾
 docet, qui vespilliones dictos tradit, quia vespertino tempore eos efferunt, qui
 funebri pompa duci propter inopiam non possunt. Sed, quid circa efferendos
 mortuos Romae constitutum sit, iam vix attinet monere. Id expeditum est,
 non transferri mortuorum corpora, nisi noctu, potuisse, idque in primis, ne
 impensae perforandi corporis in infinitum excrescant, quae decemuirū Romani
 tab. X. coercuerunt, ⁷⁾ constitutum. Augusti corpus decuriones a Nola Bo-
 uillas usque, noctu deportarunt, atque interdiu in basilica cuiusque oppidi, vel
 aedium sacrarum maxima, reposuerunt: quod SVETONIVS TRANQVIL-
 LVS ⁸⁾ propter anni tempus factum esse tradit. Sed maior fides est PAVL-

Q. 2

LO,

⁵⁾ TACIT. annal. II. c. 73. & l. 3. c. 12.

⁶⁾ SVID. t. I. p. 128 voce αὐγῆς.

⁷⁾ CIC. l. II. de legibus c. 26. circa finem libri p. m. 455.

⁸⁾ RADVL-

RHVS Fornerius l. VI. rer. quotid. c. 13.

⁹⁾ CIC. l. II. de leg. loc. cit.

¹⁰⁾ FESTVS in voce vespæ. vide RAEV. de reg. iur. c. 138. t. I. op. p. 392.

¹¹⁾ vid. GRAVIN. orig. iur. ciu. t. I. p. 281.

¹²⁾ SVET. in vita Augusti

c. 100.



lo, qui l. i. sent. 21. §. i. generatim corpus perpetuae sepulturae traditum, non nisi per noctem, in alium transferri locum posse, praecipit; vt vix sit locus dubitationi, illud vel religionis, vel sumptus minuendi, causa fuisse introducendum.

Noctu igitur demortiorum corpora transferebantur. Sed si per longum iter deducenda essent, *cremabantur* antea, vt in vrna reliquiae transportari possent, constituto interdum illic, vbi cremata erant, cenotaphio, id est, quod **TACITVS** ^{c)} appellat, imaginario sepulchro. Si tamen res ferebat, malebant Romani in patria, reportato corpore integro, cremari. Sane, in Germanici funere, vulgus vociferabatur, corpus ob longinquitatem itinerum, in externis terris, quoquo modo crematum esse: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto plura prima fors ipsi negauisset: ^{d)} vt intelligi possit, inter incommoda fortunae, & calamitates, numeratum, si non corpus integrum, sed cineres duntaxat, referrentur. Hoc sibi volunt lapides apud **GRVTERVM**, qui modo *reliquias* collectas, ^{e)} & ossa tantum exportata ^{f)} modo *corpora* integrum ^{g)} translata, profitentur. Testis etiam est **PAVLLVS** l. 40. & 44. *D. de relig.* **FLORENTINVS** l. 42. *D. eod.* & **VLPIANVS** l. 8. *f. D. eod.* inter *corpora* translata, & *reliquias* relatas, discrimen aliquod intercessisse. Quod meretur obseruari, quia quibusdam gentibus inter Romanos, & Cornelii in primis, usque ad syllam, teste **TVLLIO** ^{h)} illa fuit priuata, & familiaris religio, vt igni noluerint cremari, sed corpus integrum, quasi operimento matris obducitur, in sepulchro maiorum collocari.

Igitur aut corpora, aut ossa tantum, & reliquiae, transferebantur: sed, cum, si corpus moueas, diis manibus, qui ad corporis reliquias adhaerent, & cum illis conquiescunt, controuersem de loco facere, & de sede illos sua deturbare videaris; placuit, non nisi factio **PIACVLO**, aut, quod **PAVLLVS** ait l. i. sent. tit. 21. §. i. redditis solennibus sacrificiis, corpus perpetuae sepulturae traditum, ex finibus sepulchri pristini transferri. M. Vlpiani, Angusti liberti, reliquiae, si lapidem apud **GRVTERVM** ⁱ⁾ audiamus, factio *piaculo*, ex permisso collegii pontificum, traiectae. Hoc videtur mouisse **LABEONEM**, atque **VLPIANVM**, vt l. 8. *pr. D. de relig.* iniuriarum actionem aduersus illos concederent, qui ossa ab aliis illata, vel corpus, effodere, vel eruere, sine decreto pontificum, aut iussu principis, qui pontificum auctoritate utebatur, ausi sint: cum publice intersit, ne temere religiones perturbentur. Sed de illo argumento **GVTHERIVS**, in libro *de veteri iure pontificio* ^{k)} commentatione luculenta exposuit. Factio *piaculo*, corpus aut reliquiae *suscipiebantur* ab illis, qui

^{c)} **TACIT.** annal. I. II. c. 74. & 83. ^{d)} **TACIT.** I. III. annal. c. 5. ^{e)} **GRV T.** inscript. fol. 578. n. 1. & 594. n. 7. ^{f)} Id. fol. 789. n. 1. & 871. n. 2. ^{g)} Id. fol. 662. n. 8. & 607. n. 1. ^{h)} **CIC.** de leg. I. II. p. m. 448. ⁱ⁾ **GRV T.** fol. 578. n. 1. ^{k)} **GVTH.** de vet. iure pontif. II. c. 9.



qui necessitudine, & sanguinis cognatione, aut alia in defunctum pietate, atque coniunctione amicitiae, proxime attingebantur. Enimvero videntur in illius rei administratione plerique suae fidei, & obsequii, gloriam omnino quaesuisse, & supremo officio, cum voluptate, & ostentatione aliqua, defuncti. Si *martiali*¹⁾ fides est:

Retulit ossa sinu cari Nigrina marini,
Et questa est longas non satis esse vias,
Cumque daret sanctam tumulis, quibus inuidet, ornam,
Vita sibi est rapto bis viduata viro.

Augusti corpus decuriones municipiorum & coloniarum deportarunt, & Boni illis equester ordo suscepit, atque in urbem intulit, & in vestibulo domus collocavit.^{m)} *AGRIPPINA*, quamquam defessa animo, & aegro corpore, omnium, quae vltionem morarentur, intolerans, ascendit classem, *cum cineribus Germanici*, & liberis: cunctis miserantibus, quod femina, nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio, inter venerantes, gratantesque adspici solita, sinu ferret reliquias ferales.ⁿ⁾ Mox magistratus Calabriae Caesar edixit, vt supra munera erga memoriam filii sui fungerentur, qua propter tribunorum, centurionumque humeris cineres deportabantur:^{o)} quia funera ex domo angusta magis ad rem publicam, quam ad sanguine & necessitudine coniunctos, & familiam funestam, pertinere videbantur. Dum haec pompa ducebatur, illi, quorum conspectissima esse pietas debebat, obuii planctu, atque comploratione, dolorem animi, & studium suae pietatis, testabantur. *Augustus*, asperrimo hiemis tempore, Ticinum usque progressus, a *DRVSI* corposo, donec urbem simul intraret, non abscessit. Sed *TIBERIO*^{p)} obiectum, quod neglexerit veterum instituta, quod ne fratres quidem nisi unius diei via, non patruus, saltem porta tenuis, obuii *Germanici* funeri fuissent. His ceremoniis traductum in patriam corpus inferebant tumulo maiorum, defletum ante, & laudatum, inter carmina, & lacrymas, & doloris alia incitamenta.^{q)}

Sed his quidem ritibus *mortui translati*. Satis fuerit, illa digito indicauisse.

§. IV.

Huius moris vestigia etiam apud posteros apparent. Ne nostri quidem, *Lex naturalis* non quamuis sublata superstitione, a ritibus & ceremoniis, quibus in *translatione mortuorum* locus est, abhorrent. Certe plurimi, etiam hodie, ne seiungantur a parentum tumulo, & domo aeterna, & ne peregre obeant, aut, si quid ipsiis humani acciderit, ut tamen vel mortui reuertantur ad suos, ut loco com-^{ratis non} *translatio-* ^{dammat nec improbat} *mortuum*.

Q 3

¹⁾ MARTIAL. l. IX. epig. 31. ^{m)} SVET. vita Aug. c. 100. ⁿ⁾ TACIT. I. II. annal. c. 75. ^{o)} Id. l. III. c. 2. ^{p)} TACIT. lib. III. annal. c. 5. ^{q)} Id. loc. cit.



modo, & læto, & opportuno conquiescant, precantur, optant, ibent, modis omnibus impetrare, & efficere laborant. Quæ res a quibusdam magis, quam fas erat, derisa, & indignius accepta est: quibusdam etiam in mentem venit, resistendum superstitioni: voluntati moribundorum, qui talia postulant, obnittendum: certe illam non adiunplendam esse: nulla mortuis officia deberi: corpora defunditorum, non eo, quo ipsis, dum viuerent, visum fuerit, sed, quo viuentibus in præsenti commodissimum esse videatur, transferenda esse: alioquin, illo obsequio soueri ineptias, & superstitiones sollicitudines, quæ, cum vires acceperint, opprimant animos, ut etiellæ penitus non possint. Quæ res videtur habere rationem; cum &, si quid sentirent mortui, certum sit, p̄ um refferre, quo ossa, & reliquiæ corporis, breni dilapsuræ, reponantur: & præterea probabile sit, quod ossa, que morte examinata sint, sensu careant, nihilque rebus nostris attingantur, adeoque & iura ipsorum inter viuos morte infirmantur, atque exspirent, hinc neque nos omnino ullius erga ipsos officii religione obstringamus. Ita CAECILIVS apud MINVCIVM FELICEM²⁾ philophatur: „& ridet illorum ieunias ineptias, qui regos execrantur aut ignium damnant sepulturas: quasi non omne corpus, eti flammis subtrahatur, annis tamen, & ætatibus, resoluatur: nec intersit, vtrum feræ diripient: an maria consumant, an humus contegat, an flamma subdueat cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pena sit, si non sentiunt, ipsa consciendi celeritate, medicina. In eandem sententiam ipse MINVCIVS alibi:³⁾ corpus omne, inquit, siue arescit in puluerem, siue in humorem soluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, nobis subducitur; sed Deo, elementorum custodi, resernatur. Nec ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem, & meliorem, consuetudinem humandi frequentamus. „ Quæ si vera sint, & vanæ morientium de sepultura sollicitudo, & viuorum in illa re obsequium, esse superstitionis videri possit. Sed, aut omnia me fallunt, aut meretur excusationem eleætio sepulchri, & desiderium translationis: certe, qui morientibus in illa parte obsequuntur, tantum abest, vt peccent, vt potius ausim affirmare, illos, qui supremis defunctorum precibus pertinaciter, & sine causa, obnittuntur, parum esse memores humanitatis. Si enim incertum est, vtrum animæ de mortuorum, quid corpori & reliquiis accidat, ignorent & curent, & vtrum illa omnino persentiant; quid accommodatius est ad miserationem conditionis humanæ, quam obsequi petentibus, & parere ipsorum voluntati, in illis rebus, quæ innocuae sunt, & parum nobis incommodi afferre possunt: cum, vii mortuorum, ita certe & viuentium, non multum intersit, quo tumulo cuiusque reliquiæ condantur, adeoque facile sit in illis rebus obsequium. Imo vero Abram

²⁾ MINVC. FELIX in Ostauio c. XI. §. 3. quem locum mihi Illustris BOEHMERVS in iure eccles. l. III. tit. 28. §. 2. indicauit. ³⁾ MINVC. FELIX ostau. c. 34. §. 11.



ham mirifice laborauit, de aedificando hereditario sepulchro, ^{t)} & Iacobus, ^{u)} desiderauit, vt translato corpore, in tumulum parentum inferretur, & Iosephus ^{x)} suos iuris iurandi religione obstrinxit, vt in sepulchrum, in quo maiorum ossa sita sint, corpus demortuum transferrent. Quos cum nemo vanitatis, aut superstitionis, accusare possit; durum est, & a veritate alienum, preces morientium, qui alio funus transferri postulant, superstitiones, & penitas ineptas esse. Sin vero expeditum esset, ignorare animas, quid cum corpore agatur, aut certe in exiguo discrimine ponere, quo cunque reliquiae ipsorum loco reponantur; darem omnino, mortuis quidem illud non deberi & morituros desiderare non posse, vt corpora ipsorum in locum, quem ipsi elegerint, post mortem transuehantur. Sed quid de viuentibus dicemus, quorum animos illa, si qua est, supersticio, aut potius opinio, inuasit, atque occupauit? quantis timoribus, quanta solicitudine implebuntur homines imbecilli, cum videbunt, alios, post mortem indignus tractari, & ne hoc quidem decedentibus tribui, vt, quo velint, loco conquisescant: cum idem sibi accidere posse intelligent, quod aliis accidisse, cum dolore, cognoscunt. Certe vel hac sola ex causa, nisi grauius quid obster, obtemperandum est in illa parte voluntati defunctorum, & diligentius custodienda reliquiae, ne animos viuentium suspicione impleamus, atque perturbemus, mortisque conditionem, per se duram, illo timore duriorem, ipsisque intolerabilem reddamus. Ideoque, si hoc mortuis non debemus, tamen ad officia viuis praestanda pertinet, vt voluntati defunctorum obsequiamur, & mortuorum reliquias ab omni indignitate defendamus. Sed ait, ita soueri superstitiones, quas satius sit, animis eradicari, & euelli. Imo vero argumentis & rationibus, illa, si qua est, superstitione homines leuari, illoque metu liberari, salutare est; sed vi, & imperio, timores superstitionis non expugnabuntur: qui, quo studiosius illis resistas, tanto altius animis insident, & penitus insiguntur, vt deinde excuti, & ab animis remoueri penitus, non posse videantur.

§. V.

Igitur naturalis ratio permittit, vt corpora defunctorum, & cineres, *In XII.* reportentur in patriam, & in tumulos maiorum inferantur. Seuerius de *tabulis processu* illa funebria quibus luctus augetur, in XII. tabulis videntur *subibita translatio.* Ita enim tabula X. quae de iure sacro agit, teste *CICERONE* ^{y)} praegerunt:

HOMINI MORTVO OSSA NE LEGITO QVO POST FVNVS FACIAS
EXTRA QVAM SI BELLi ENDOVE HOSTICO MORTVVS ESCIT.

Id

^{t)} Genes. XXIII, 20. & XXV, 8. ^{u)} Genes. L, 29. ^{x)} Genes. L, 29.
^{y)} *cic.* L. II. de leg. p. m. 449. GRAV. de iure nat. gent. & XII. Tab. p. 282.



Id est, ne hominis mortui ossa colligantur, funeris postea faciendi causa, nisi belli, aut peregre, mortuus fuerit. Generatim igitur decemuiri prohibuerunt, mortuorum reliquias in patriam referri, solamque bellicam, & peregrinam, mortem exceperunt. Nihil enim apertius, quam de mortuorum, & ossium, in patriam translatione decemuiros sensisse. Noluerunt enim ossa hominibus legi, quo *postea*, id est, alibi, forte in patria, post translationem funus, fiat: solisque illorum, qui belli ceciderint, aut in hostico, id est, solo peregrino, diem obierint, heredibus dederunt facultatem, transferendi reliquias, & funus in patria deinde faciendi. Sed negat hoc RAEVARDO^s, ^{z)} atque more suo argutatur. Ait enim hac lege interdictum, ne homini mortuo *membra* abscindantur, ad quae postea iusta funebria sunt, reliquo corpore combusto. Hunc morem a FESTO ^{a)} etiam notari, qui: *membrum*, inquit, *abscindi mortuo dicitur, cum digitus eius, deciditur, ad quem seruatum iusta fierent; reliquo corpore combusto.* Hanc superstitionem, quae in dupli funere faciendo posita erat, illa lege abrogasse decemuiros, non vero de collectione ossium, & translatione reliquiarum in patriam, cogitauisse. Multum enim interesse credit, inter has formulas: *homini ossa legere, tertio, seu datiuo casu, quem Grammatici appellant, & hominis ossa legere, secundo casu.* Hominis enim ossa legere, idem esse ait, ac, reliquias omnes colligere, & in patriam, aut quocunque visum sit, transferre: hoc nunquam a decemuiris fuisse interdictum: sed ossa homini legere, quod decemuiri prohibeant, notare ossium, non omnium, sed vnius duntaxat digitii, ademptionem. Hoc ex SENECA comprobatur: qui medicos dicit, aegrotos interdum lacerare, & ossa viuis legere, id, RAEVARDO interprete, singula membra adimere, ne totum corpus corrumpatur. Sed, quamvis & RITTERSHVSIVS ^{b)} & THEODORVS MARCILIVS ^{c)} cum RAEVARDO consentiant; tamen videntur magis decemuiri generaliter collectionem, & translationem funerum, interdixisse. Enimuero de membrorum ademptione, & pluribus funeribus vni homini non faciendis, lectisue pluribus non inferendis, paulo post, eadem tabula, decemuiri, lege alia, constituerunt; vt vix credi possit, illos in tanto breuitatis studio, idem bis dixisse. Deinde, quod militiae, & peregre mortuos illa lege exceperunt, ex miseratione peregrinitatis profectum est; cum, quod supra comprobatum, nihil durius Romanis, quam umbras suas post mortem inter barbaros, quasi extores & exules vagari, visum fuerit, & ciues omnium gentium, maluerint in patria conquiescere, in tumulo majorum. Igitur accendendae virtutis causa,

&

^{z)} RAEVARDO. ad leg. XII. Tab. c. 15. Tom. Op. I. p. 66. ^{a)} FESTVS, voce: *membrum abscindi.* ^{b)} RITTERSHVS. ad XII. Tab. cap. 7. p. 28.

^{c)} THEOD. MARCIL. interpret. XII. Tab. c. 94.

& maxime ne milites sepulturae cogitatione debilitarentur, & mortem atque vulnera in bellis externis, contra barbaros, timerent, placuit, corpora illorum in patriam transferri. Sed parum illis profuisset, digitos ipsis mortuis abscondi, atque in patriam referri. Ita enim animae & manes non fuissent in patriam relati: quando quidem ea Romanos supersticio teauit, si pluribus in locis membra singula sepulta sint, manes, in illo loco, vbi caput conditum fuerit, haerere: quapropter PAVLLO l. 44. D. de rel. viderur ille tantum locus religiosus, vbi pars principalis conditur, reliqua sepulchra, quibus aliae hominis partes contineantur, profana esse. Itaque si militum superstitioni illa lege consulendum fuit, non digiti, sed corpora, & omnes reliquiae, transferri debuerunt: imo vero innumera exempla comprobant, non digitos militum, sed integra corpora, & omnes reliquias, ex locis, in quibus ceciderunt, exportatas, & in patriam relatas; vt dubitari non possit, illa lege Decemuiros generatim de corporum translatione tractauisse. Quod vero RAEVARDV S de casu tertio, seu datiuo, adducit, videtur exigui momenti. Saepe enim promiscue utroque casu, eodem sensu, vtimur. Certe, vti recte dicitur, funus homini fieri, ita & recte, ossa homini legi, decemuiiri dixerunt: vt non habeat RAEVARDV S, cur illud de ademptione unius digitii interpretetur.

§. VI.

Solis igitur peregre, aut militiae mortuis tributum, vt, quod cetero-
quin decemuiiri interdixerant, ipsorum corpora reportarentur. Illorum, *itinere*
qui in itinere mortui essent, integra corpora, aut cineres, & ossa etiam, *mortuorum*
Romam relata, nemo dubitat, & plena sunt huius exempli omnia prisca *translatio*
monumenta. MARTIALIS Antistitium Rusticum, ^{a)} & Rufum Cano-
nium ^{b)} deplorat ex Cappadocia translatos in patriam. M. Vlpia corpus Se-
linunte ^{c)} Herenniae Lampadis ossa ex Sardinia ^{d)} Romam translata sunt.
SCAEVOLA commemorat legatum Lucio Titio relictum, vt corpus testa-
toris curet in patriam referri, l. 30 §. 2. D. de adim. & transf. adiectis
codicillis, quibus heredes rogabantur, vt si in prouincia, vel in via, ali-
quid ipsi humanitus acciderit, corpus curent in Campaniam, & in moni-
mentum filiorum, reportari. VLPIANVS l. 3. §. 4. D. de sepulch. viol.
adducit edictum D. Marci, quo testatur, nullam poenam meruisse eos, qui
corpus in itinere defuncti per oppida, & vicos transuexissent.

Igitur apparet, peregre, id est, in hostico mortuos, ex permisso
XII. tabularum, transferri potuisse, idque etiam vsu apud posteros fuisse
fre-

^{a)} MART. Ep. IX, 31.

^{b)} ID. L. IV. 85.

^{c)} GRV T. fol. 578. n. 1.

^{d)} Ibid. 789. n. 1.

frequentatum. Sed MARCIANVS l. 2. D. de cadau. punit. docet, in insulam deportatis, & relegatis, quamuis & ipsi in hostico diem obeant, & generali lege decemuirali conineantur, hoc in republica negari: nec licere inde eos transferre illosque sepelire, inconsulto principe: vt post mortem etiam seusu aliquo poenae attingantur. Quod cum intelligeret CAMILLVS, cum voluntarium exsilium sibi indixisset, ^{b)} sepulchro suo iussit hunc titulum inscribi: *ingrata patria ne ossa quidem mea habes.* Sensit illud etiam OVIDIVS NASO, atque cum a coniuge, vt ossa in patriam referret, petuisset, non dissimulat, se aliquid, quod leges non permetterent, postulauisse: sed excitat illam exemplo aliarum, quae, inuitis legibus, inuito principe, pietatem defunctis comprobarint:

*Nec vetat hac quisquam. Fratrem Thebana peremptum,
Supposuit tumulo, rege vetante, soror. i)*

Videtur tamen interdum gratiae locum deditse, auctore principe, senatus, vt ira expleta, & suspicione per mortem extincta, ossibus redditum in patriam concederet. L. ANTONIO, quem Augustus in civitatem Massiliensem, vt exsilium obscurius esset, abdiderat, habitus supremus honor, & ossa tumulo Octauiorum illata sunt, decreto senatus. ^{k)} Nero etiam Lolliae Paullinae, exulis, cineres reportari, & sepulchrum extrui, permisit, ^{l)} quod supra fuit obseruatum: & generatim MARCIANVS d. l. 2. D. de cadau. punit. ait, sepeliri exules, consuko principe, solere, & Seuerum atque Aantoninum multis potentibus hoc induluisse. Ergo peregre mortui, si exules excipias, more maiorum, ex XII. tab. petito, in patriam referre bantur: sed ante omnes alios, milites, si inter studia armorum cum gloria occubuerint. Imo, qui belli ceciderit, teste PAPINIANO, l. vlt. ff. n. D. de his qui not. inf. lugebitur, etsi corpus eius non compareat: & CVIACIVS obseruat, etiam si ossa domum non relata fuerint, illis funus in patria, virtutis ergo, ductum, & memoriam exequiis exornatam esse. ^{m)} Vulgus, apud TACITVM ⁿ⁾ Tiberio in funere Germanici obicit, illum honorem cincunque nobili, ex veterum institutis, deberi, vt relatus in patriam, ex prouincia, in qua cum exercitu fuisset, defereretur in foro, & pro rostris laudaretur. Extat apud GRYFERVM ^{o)} Galli Fauonii Iucundi testamentum, quo filius suis vtionem impieratis comminatur, nisi, se in bello contra Viriathum occumbente, ossa e Lusitania intra quinquennium exportarent, & Romae in via Latina conderent sepulchro. Videretur enim hoc a summis atque imis frequentatum. Si de antiquitate

ve-

^{l)} VAD. MAX. Lib: V. c. 3. §. 2.

^{j)} OVID. L. Trist. III. el. 3. v. 67.

^{k)} TACIT. Annal. IV, 44. f.

^{l)} ID. I. 14. c. 12.

^{m)} GRAVIN.

orig. iur. ciu. p. 254.

ⁿ⁾ TACIT. Annal. III. c. 5.

^{o)} GRYFT. 871. R. 2.



vetustissimi moris dubites, crede **VIRGILIO MARONI**, p) qui pallantem, Euandri regis filium, in pugna a Turno interemptum, iussu ΑΕΝΕΑΣ, pompa, quanta militare funus efferri potuit, maxima, ait, transuectum ad parentem, & conditum in tumulo maiorum. Hoc omnes imitati sunt Romuli nepotes, vsque ad Rutilii consulis mortem, qui cum multis viris illustribus ex prælio Roman, sepulturae cauſa, teste **APPIANO**, q) translatus est. Sed tunc senatus descivit a moribus maiorum: cum intelligeret, frangi, & debilitari, ciuium animos, tot cadauerum conspectu, & clarissimum virorum casu extingui igniculos militum, ipsosque a virtute auocari. Ήτε ὄψις αἰδής ἢν τὰς ὑπάτες, ποιησάντες δέ αἰδῶν σύνηγμάνων. καὶ αὐτὸς τὰς δὲ Βελλί τρισ αποθύσκοντας εὖ τοῖς πολέμοις ἐκρίνεν, ἐνδεπερ ᾧν ὁσιοί, θάντεσθαι, τὰς μὴ τρισ λοιπτὰς εὖ τῆς ὄψεως αποτρέπεσθαι τῶν σφαγιῶν: igitur placuit senatui, in prælio mortuos, eodem in loco, in quo occubuerint, sepeliri, ne reliqui conspectu terrorentur. Qua excusatione aliquando etiam Nero vñus est, & subtrahenda esse oculis acerba funera, & laudacionibus & pompa detineri non debere, censuit: r) & Tiberius Germanico, s) quod reliquias Vari, legionumque caesarum, ne quidem translatas, sed per longum tempus inseptulas, humo contexisset, succensuit, & existimauit, illa pietate virtutem militarem infirmari. Et hac cauſa igitur post Rutilii consulis obitum, ne militum quidem reliquiae, inconsulto principe, transferebantur.

§. VII.

Ex his, quae dicta sunt, apparet, solis peregre, aut militiae, mortuis, De sensu neque his quidem omnibus, nec omni tempore, tributum esse, ut ipsorum legis 3. §. 4. corpora, aut reliquiae, exportarentur. Sed liberalius D. SEVERI edicto tractati videntur esse mortui, quo, secundum **VLPIANVM**, l. 3. §. 4. D. de sepulch. violat continetur: non perpetuae sepulturae tradita corpora posse transferri, neque detinenda esse, aut vexanda, aut prohibenda, ne per territoria oppidorum transuehantur. Non minus benigne D. MARCVS, rescripsit: non pœnam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti, per viacos aut oppida transuexerint. Igitur res expedita videretur, nisi idem D. MARCVS iniiceret scrupulum, qui, d. l. 3. §. 4. D. f. de sepulch. violat. ait: talia fieri sine permisso eorum, quibus permittendi ius est, non debere.

Dici non potest, quantum exercuerint interpretum industriam verba satis clara Diu Marci. Ut habeant, de quo dubitent, incertum esse dicunt, quae sint illa funera, quae sine permisso transuehi non possint: sed

R 2

illud

p) **VIRGIL.** Aen. d. XI. v. 59 seq. q) **APPIANVS** de bello ciuil. I. II. p. m. 377. in edit. Lugdun. t. I. p. 637. r) **TACIT.** annal. XIII. c. 47. s) Id. I. annal. c. 63.



illud incertius, cui ius competit, illud permittendi: hodie in primis: Mirifice res perturbata est dissensionibus scriptorum. V. C. GERARDVS NOODT ¹⁾ inter corpora sepulturæ perpetuæ tradita, & illa, quæ temporis causa alieni loco commendata, atque in illo deposita fuerint, distinguit. Illa non sine permisso patitur transferri, hæc vero libere, & prout cuique videatur. Alii, etiam hodie, nunquam recte sine venia, mortuorum corpora exportari posse censem. Plurimi permisum, & veniam magistratus illius, in cuius territorio mortuus occubuit, desiderant: sed non pauci, atque inter illos etiam STRYCKIUS, ¹⁾ KLOCKIUS, ²⁾ & quodammodo BESOLDVS, ³⁾ imo & BOEHMERVS, ³⁾ etiam illis magistratibus, per quorum territoria mortui transuehantur, hoc denunciandum, veniamque illorum impetrandam. Optime illustris BERGERVS, ²⁾ solere ait, translationem mortuorum per locum iurisdictionis, argumento l. 3. §. 4. *D. de sepulch. viol. magistratui denunciari.* Quod ut plenius intelligatur, iuuabit rem per partes, cum cura, explicare.

§. VIII.

*Corpora perpetuae se-
pulturæ tra-
dita non
transferun-
tur sine per-
missu.* *Et* primo quidem, corpora, sepulturæ perpetuæ tradita, *sine permisso* non translata, expeditum est: quandoquidem non solum Græci, teste SVI-
D A ^{a)} illum, qui aras aut sepulchrum attigerit, *ἀνίητα νεκρά*, non mouenda commouere, consuerunt; sed, illorum etiam exemplo, decemuiri, tab. X. vti-
bus *per bustum*, ^{b)} ita forum etiam, id est, tradente FESTO, ^{c)} vestibulum sepulchri, æterna auctoritate munauerunt: quapropter locus, vbi quis sepultus, &, interprete TULLIO, ^{d)} vbi non solum crematus, sed etiam iniecta gleba tumula-
tus est, ut ibi perpetuo quiescat, ne refici quidem potuit, nisi pontifices explo-
raverint, quatenus salua religione desiderio reficiendi operis medendum, l. 5.
f. 1. D. de mort. inf. Generatim enim divi fratres, teste MARCIANO, l. 39.
D. de relig. monuerunt, ne iustæ sepulturæ traditum, id est, terra conditum corpus, a viuentibus inquietetur: cum, si VLPIANVM l. 8. pr. *D. de relig.* audiamus, ossa, etiam ab alio, cui ius non erat, in sepulcrum illata, domino loci effodere, vel eruere, sine decreto pontificum, seu iussu principis, omnipino non licet: quia &, secundum eundem MARCIANVM l. 7. *D. de sep. viol.* corpora sepulta attingere, & præcipiente CONSTANTIO, l. 4. *C. eod relict-
quias contrectare, religioni aduersum est, & ne martyres quidem distrahere,
aut mercari, pietatis caussa, imperatores christiani permiserunt, l. 7. *C. Theod.**

¹⁾ NOODT ad digesta l. XI. tit. 7. p. 263. & 265. ²⁾ STRYCK. vs. mod. ad l. XI. tit. 7. §. 20. t. II. p. 347. ³⁾ KLOCKIUS vol. I. consl. 10. n. 477. ^{a)} BESOLDVS thes. pract. voce: Durchführung der Verstorbenen. ^{y)} BOEHMER. de usu act. fest. II. c. 4. p. 243. not. x. ^{z)} de BERG. oeon. iur. l. II. tit. 7. §. 2. not. 9. p. 210. ^{w)} a) SVID. voc. *ἀνίητα νεκρά* l. I. p. 130. ^{b)} RITTERSHUS. ad XII. tab. p. 36. ^{c)} FESTVS voce: forum. ^{d)} CIC. de leg. II. p. 449.

de sepulch. violat. Quare sepulchrum sibinde apud veteres, *domus morientium* *L. 4. C. de sepulch. violat.* *domus æterna,*^{g)} *sedes æterna*, a *PAVLLO*, *L. 40. de religios.* *quies etiam æterna*^{h)} *appellatur*, ut tuta sit ab hominum contrectatione, & incursum.

Igitur corpora sepulta non transferri debuerunt, nisi illorum *permisſu*, quibus ius est illud permittendi. Neque tamen id videtur, nisi causa cognita, fuisse impetratum: ut ante exploraretur, an salua religione, liceat transferre, *L. vlt. §. 1. D. de mort. infer.* Illud certe *TRAIANVS PLINIO*ⁱ⁾ proconsuli præcepit, vt exemplo aliorum, qui prouinciis præfuerint, propter *iustas causas*, transferre reliquias, potentibus permittat. Ipsa enim religio interdum videtur necessitatibus cessisse, ut iniuriaæ vetustatis, incursum fluminis, metui ruinæ. Nam ex his fere causis *PAVLVS sentent. L. 1. tit. 21. §. 1.* & imperator *ANTONIVS L. 1. C. de relig.* translationem sepulchorum permis- runt: quod etiam *EX PLINIO KIRCHMANNVS*, atque *GVTHERIVS*, & *ex utroque GERARDVS NOODT*, loco supra excitato, obseruarunt. Sed adde: ipsam interdum etiam *religionem* postulasse, ut reliquæ ex loco religioso in aliud locum transferrentur. Certe senatus Marci Oppii corpus in campo martio sepultum, tanquam non recte in loco sacro repositum, pontificium monitu, transferendum esse, censuit,^{k)} ne deorum manum religio locum Marti gradiuo sacrum pollueret, & conspurcaret. Generatim *MARCIANVS L. 39. D. de rel.* si res exigat, ut arcula, in qua corpus perpetuæ sepulturæ causa conditum, in *locum commodiorem* transferatur, illud non negandum esse, tra- dit. Principes, accepta summorum pontificum dignatione, interdum & gratiam videntur religioni prætulisse, ut vel intidiam contractam eluerent, vel le- nitatis documentum ederent, vel populo gratum spectaculum offerrent. Ex hac certe causa Lolliæ Paullinæ, exulis, cineres, *NERONIS indulgentia*, Romanam translatos, *FACITVS*^{l)} affirmat.

§. IX.

Sed, quanquam corpora iustae sepulturæ tradita non transferuntur, sine *Nec com- permisſu*, secus tamen *RADVLPHVS, FORNERVS*^{m)} & *V. C. GERAR-*
*DVS NOODT*ⁿ⁾ de commendatis censuerunt. *Commendatum enim corpus, permisſu*
seu quod *PAVLVS* ait *L. 1. sentent. tit. 21. §. 4* loco alicui ad tempus com-
mendatum, quod *SVETONIVS*^{o)} etiam *repositum*, & *PAVLVS L. 40. D. de religios.* *depositum* temporis gratia, appellant, (teste enim *PAPINIANO*,
PAVLO, atque *VLRIANO*, *L. 24. L. 26. pr. D. deposit.* & *L. 186. de*

R 3

V. S.

g) *GRVT.* inscript. fol. 804. n. 4. b) *GRVT.* f. 525. n. 6. & 7. i) *PLIN.*
l. X. ep. 70. h) *DIOCASS.* l. 47. p. 445. ed. Steph. l) *TAC.* annal.
l. 14. c. 22. m) *FORN.* rer. quotid. l. III. c. 6. n) *NOODT* ad digest.
l. XI. tit. 7. p. 265, 269. o) *SVETON.* in vita Aug. c. 100.



V. S. omnia deposita etiam commendata dicuntur) commendatum, inquam, corpus est, quod alicubi temporis causa, non ut aeterna sede sepeliatur, sed hoc animo, ut mox alium in locum transferatur, deponitur ab illis, qui officio funerandi defunguntur. Ita enim MARCIANVS atque PAVLVS l. 39. & 40. *D. de rel.* rem definierunt: ideoque l. 2. f. 3. *D. eod. tit.* commendatio illationi, quae sit sepulturae causa, opponitur. Solebant enim commendare corpora, nondum aedificato, aut longius remoto, in quod inferre mortuum cogitauerant, sepulchro. Exemplum est libelli apud GRUTERVM, quo quis conqueritur, se pressum necessitate, sibi sarcophago corpora commenduisse, donec locus, quem emerat, aedificaretur; ut interea in tuto essent. FORNERIO, & GERARDO NOODT nihil videtur apertius, quam commendata libere, non imposita impetranda veniae necessitate, quo libuerit, transferri potuisse; cum hoc animo deposita sint, ut quam proxime alium in locum transferantur. Id ne temere dixisse videatur GERARDVS NOODT, auctoritate *D. SEVERI* vtitur, cuius edicto continetur, corpora non perpetuae sepulturae tradita, id est, commendata duntaxat, & deposita, posse transferri: adeoque nihil opus esse magistratum permisso. Quam rem minus credit habere dubitationis, cum & PAVLVS, l. 40. *D. de relig.* locum, in quo temporis gratia tantum depositæ sint reliquiae, ut alio transferantur, nihil religionis habere, sed manere profanum, doceat: ut adeo intelligi possit, non desiderari pontificum decreta, quorum auctoritate vnicce in religionibus custodiendis, atque dissoluendis, opus fuisset videatur. Denique rem expeditam esse, ait, rescripto DIOCLETIANI, & collegae, l. 10. *C. de relig.* qui, si nec dum perpetuae, inquiunt, sepulturae corpus traditum est, translationem eius facere, non prohiberis.

Quae, quamvis speciosa sint, tamen non persuadent, potuisse commendata omnino sine venia transferri. Fortius enim moneror auctoritate VLPIANI, qui, postquam l. 3. f. 4. *D. de sepulch. viol.* edictum D. SEVERI, quo continetur, quod corpora non perpetuae sepulturae tradita transferre licet, recensuit, statim limitat, quae a Senero constituta sunt, & D. MARCVM contra rescripsisse, ait, quod hacc fieri sine permisso eorum, quibus permittendi ius est, non debeant. Audiamus verba VLPIANI: „Non perpetuae sepulturae tradita corpora posse transferri, edicto D. SEVERI continetur, quo mandatur, ne corpora detinerentur, aut prohiberentur per territoria oppidorum transferri. D. autem MARCVS rescripsit: nullam penam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos aut oppida transuixerant: quamvis talia fieri sine permisso eorum, quibus permittendi ius est, non debeant.“ Quis non videt, hac lege restringi licentiam translationis, & moneri illos, qui corpora nondum sepulta transferant, ut ne talia sine permisso moliantur: posse illa corpora transferri, sed sine permisso illud fieri omnino non debere. Quod

cl-

clarius intelligitur, quum D. MARCVS in hac lege de translatione corporis, non sepulti, sed in itinere defuncti, quod adeo nondum humatum erat, referiperit, illud non posse sine permisso per oppida transferri. Poterant hac sola responsive dilui illa, quae a FORNERIO, & NOODTLO, in contrariam partem disputantur. Sed suppetunt omnino plura argumenta, ex quibus appareat, necessariam fuisse impetrationem veniae, in omni translatione mortuorum, etiam commendatorum. Enimuero XII. tabb. leges generatim prohibuerunt, ne ossa homini mortuo legantur, quo post alibi funus fiat: quod supra fuit comprobatum: & teste PAVLLO *I. i. sent. 21. ff. 4.* prout SCHVLTINGIVSP) eius verba recitat, omnis denudatio mortuorum, etiam commendatorum, prohibita fuit, nisi magistratum permisso: porro *I. 5. ff. 1. D. de mort. inf.* & *I. 7. D. de sep. viol.* generaliter interdictum, ne ossa defunctorem contingantur. Imo vero, si quis illa tantum de corporibus iustæ sepulturæ traditis interpretetur; tamen ipsa huius negotii natura non videtur passa esse. ut deposita corpora, auctoritate priuata transferrentur. Enimuero corpus commendatum dicitur, quod *hoc animo* depositum, vt alium in locum transferatur; sed sepultum, quod sedi æternae datum, hoc consilio, vt nunquam transferatur, *I. 39. Et 40. D. de relig.* Ex quo appareat totum hoc discrimen, quod inter commendata & sepulta corpora intercedit, maxime *ex animo* deponentis, aut sepelientis, iudicari. Igitur, si cuilibet *sine permisso* corpora commendata transferre licuisset, semper fuisse incertum, commendata, an sepulta, corpora transferret; vel data fuisset occasio leges eludendi, quæ vetabant *sepulta* corpora transferre. Quapropter etiam in translatione *depositorum* videtur necessarium fuisse, vt ante cognoscatur, an vere, temporis tantum cauſa, deposita fuerint corpora, quæ transferrentur. Accedit, quod & aliæ subinde cauſæ translationem corporum, etiam nondum sepultorum, impedire potuerint, de quibus cognoscendum fuit, antequam translatio permitteretur. Ad illas cauſas pertinet illa, quam TACITVS ^{q)} commemorat, quod quædam funera tam acerba sint, vt publice intersit, illa a ciuium conspectu remoueri, atque in urbem non inferri. Hinc & SCto decretum, vt corpora militum, illo loco, quo cecidissent, humarentur; ne relata in urbem animos ciuium cogitatione mortis, & rerum aduersarum frangerent, & debilitarent. Haec, & alia plura, deliberatione digna erant, priusquam translatio corporum permitteretur: vt non dubitem, veniam impetrandum a magistratibus fuisse. Hoc agnouit FAVORIVS IVGVNDVS, qui in tabulis testamenti apud GRVTERVM ^{r)} desiderauit quidem, vt intra quinquennium ossa sua Lusitania exportarentur; sed liberauit filios suos illo officio, si *legitime cauſæ*, quæ translationem prohiberent, ori- rentur: vnde intelligitur, subnatas aliquando esse cauſas, ob quas ne commen-

p) SCHVLT. iurisprud. ante-iustinian. p. 262. q) TACIT. annal. I. XIII. c. 17. f.

r) GRVT. inscript. f. 871. n. 2.



data quidem corpora, quamvis nondum sepulta, potuerint transferri. Imo vero ^{GRVTERVS¹)} seruanit exemplum libelli supplicis, quo libertus quidam, exposita tota caussa, & multis rationibus adiecit, petiit, ut sibi corpora, factili sarcophago commendata, liceret transferre in sepulchrum. Quod exemplum auget suspicionem, non temere corpora, temporis gratia deposita, in locum alium exportari potuisse. Igitur, quod D. SEVERVS l. 3. §. 4. sep. viol. edidit, corpora non perpetuae sepulturæ tradita transferri posse, & quod DIOCLETIANVS l. 10. C. de relig. translationem non prohiberi rescripsit, non ita accipiedum est, quasi temere hoc permittatur; sed, quod *caussa cognita*, nisi aliquid obstet, denegari non soleat, si denuncietur, & legitime petatur, translatio demortuorum. Quamvis denique, quod NOODT obiecit, locus, in quo corpus depositum est, nihil religionis habeat, sed maneat profanus, adeoque nec pontificum opus esse videatur ad translationem; tamen fuerunt aliæ omnino causæ plures, propter quas periculi plena esse potuisset illa exportatio, de quibus cognoscere debuerunt illi, quibus ius est translationem permittendi. Enim vero, nec ille locus, in quem quis, invito domino, mortuum intulit, sit religiosus: neque tamen ossa inde licet eruere, nisi exspectato aut principum iussu, aut pontificum decreto l. 8. D. de relig. Ex quibus rebus videtur colligi posse, quantum ad necessitatem impetrandæ veniae pertinet, nihil inter illos, qui sepulta, & qui commendata, atque deposita cadavera transportant, discriminis interesse, sed neutra *sine permisso* transferri potuisse. Ita illo autem inter utrosque aliquid interest, quod cadavera perpetuae sepulturæ tradita mouere, ne potentibus quidem, nisi grauis caussa illud postulet, soleat permitti, adeoque in dubio *non concedenda* sit translatio iusta sepultura conditorum; cum, contra, commendata corpora exportare *nemini* facile negetur, sed magistratus prioniores sint ad permittendum, nisi grauis caussa suadeat, ut denegetur. Atque hoc fere iure etiam hodie nos vti, erit deinde locus expōnendi.

§. X.

Cui ius sit ^{permitteendi} *Igitur corpora demortuorum sive commendata sint, sive perpetuae sepul-*
ut cadavera ^{transferan-} *turæ tradita, non transferuntur, sine permisso illorum, quibus ius est, illud*
permittendi. Sed operæ pretium est, obseruare, qui fuerint illi magistratus, a
quibus impetrari debuerit, ut reliquæ defunctorum salua religione transferantur.
Et olim quidem officium interpretandi religiones, & sepulchra defendendi, deni-
que compellendi heredes, ut supremis voluntatibus defunctorum, circa sepul-
chra in primis, obsequantur, ad pontifices spectauit. Explicate enim VLPIA-
NVS l. 8. pr. D. de relig. domino loci, ait, ossa ab alio illata eruere, sine de-
creto pontificium, omnino non licere; sed expectandum pontificale permisum.
Atque idem eodem loco pontifices, tradit, explorare, quatenus salua religione

¹ GRV T. inscript. f. 607. n. 1.



corpora possint transferri, l. 5. s. i. D. de mort. infer. Neo obscurius PAPINIANVS l. 50. D. de hered. petit. heredes quidem nulla actione teneri ad monumentum faciendum, docet, sed solere illos auctoritate pontificali compelli ad obsequium supremæ voluntatis. M. VLPPI, liberti, reliquias traeſtas permisſu collegii pontificum, testatur lapis litteratus apud GRVTERVM. ¹⁾ Quem morem ne quis obſcurum, aut intermissum, credat, PLINIVS etiam tempore TRAIANI ⁱⁱ⁾ cum ab ipſo peteretur, vt reliquias transferre permetteret, ad principem retulit, in vrbe ex eiusmodi cauſis adiri collegium pontificum sole- re. Video equidem & ſenatum aliquando interpoſuisse auctoritatem, vt liceret corpora transferre: quando quidem ANTONII reliquie tumulo Octaviorum illatae ſunt decreto ſenatus ^{x)} & idem ſenatus plebis ſtudium erga M. OPIVM, quem in campo MARTIO humauerat, indigne tulit, & oſſa eius inde iuſſit dimoueri. ^{y)} Immo & permisſu tribunorum plebis corpora translata, monumentum EVSCHENII apud GRVTERVM ^{z)} comprobat. Sed hoc ferre tunc accidisse existimo, cum non religionis tantum, ſed & reipublicæ, vt in funere OPPII, aut dignitatis, gentisue AVGVSTAЕ, intereffet, aut pœnæ exulum, qui inferri non poterant in vrbeam, vt in funere ANTONII, mitigandæ eſſent. Neque tamen hac potestate viſi videntur magistratus, niſi auditio antea pontificium decreto. Certe, ſenatus, teſte DIONE CASSIO ^{a)} M. OPPII oſſa ex campo MARTIO, non niſi pontificum monitu, remouenda cenſuit. Soli proconsules ſibi id ſumperunt in prouinciis, vt, ex cauſa, prout res poſtularerit, cuique aut permetterent, aut interdicere, corporum translationem. ^{b)} Qued & TRAIANO poſtea placuit; cum durum videretur, propter itinerum longinquitatem, iniungere prouincialibus neceſſitatem pontificum adeundorum, ſi reliquias, propter iuftas cauſas, ex loco in aliud locum transferre velint: ideoque & PLINIVM iuſſit imperator, ^{c)} vt ſequeretur illo- rum, qui iſti prouinciae præfuerint, exempla. Imo verò etiam ANTONINVS l. i. C. de relig. exiſtimatione rectoris prouinciae transferri poſſe reliquias reſcripsit. Postquam potestas ad unum peruenit, a temporibus HADRIANI maxime, ſoliti ſunt ipſi principes permettere corporum translationem; quum hoc iſpis & reipublicæ cauſa, cuius dignitas & quies in illa cognitione ſubinde verſabatur, & religionis cauſa, cuius cura ad imperatores, quippe pontifices maximos, ſpectabat, in primis conuenire videretur. PLINIVS certe, ^{d)} quia ad pontificum collegium interpretatio religionis pertineret, ideo ſe putauiffe, ait, principem, pontificem maximum, in primis consulendum. Plena ſunt hu- ius

^{x)} GRV T. inſcript. f. 578. n. 1. ⁱⁱ⁾ PLIN. l. X. ep. 69. ^{z)} TAC. annal. IV. c. 44. ^{y)} DIO CASS. l. 48. p. 445. edit. Steph. ^{a)} DIO CASSIUS loco cit. ^{b)} GRV T. inſcript. f. 662. n. 8. ^{d)} PLIN. ep. 70. l. X. ^{c)} Id. ep. 69. l. X.



ius exempli antiqua monimenta. Liberti Herenniae reliquiae Romam relatae, indulgentia AVGVSTI. Et supra est a nobis adductus libellus supplex liberti, quo a principe petuit, ut permitteret commendatorum corporum translationem: e) Rogo, Domine, permittas mihi, in marimoreo sarcophago, quem mihi comparavi, ea corpora, quae, pressus necessitate, fictili sarcophago commendauit, colligere, ut, quando ego esse desinam, pariter cum eis ponar. Cui libello subscriptum est: feretrum, id est, VARRONE interprete f) item, in quo mortui transferebantur, fieri placet. Habes igitur formulam, qua solebant principes permittere translationem. Non opus est pluribus exemplis. Abscisse enim negant imperatores l. 14. C. de relig. humanum, seu, quod alii volunt, humatum corpus ad alium locum, sine AVGVSTI affatibus, transferri. Quod & VLFIANVS & PAPINIANVS l. 8. D. de relig. & l. 50. de hered. pet. agnouerunt, qui vel decretum atque auctoritatem pontificum, vel iussionem principum, in illis negotiis exspectandam censem. Certe exules, atque in insulam deportatos, aut relegatos, non licet post mortem alio transferre, atque inconsulto principe l. 2. D. de cadu. punit. Quapropter & NERONIS auctoritate opus fuit, cum LOLIAE PAVLLINAE, exulis, cineres reportarentur. g)

§. XI.

Iure canonico translatio permisfa interdum & necessaria. Pontifices benignius moribundorum voluntates interpretati sunt, illisque obtemperandum censerunt. Si quis ruri mortuus, aut domi, quo loco sepeliri malit, non constituerit, & sine periculo possit exportari, ex probabili, & præsumpta eius voluntate, in parochiali ecclesia, in qua sacris usus est, vel in maiorum suorum sepulchro, exemplo patriarcharum, conditur. Inst. LANCCELL. Inst. II. 24. §. 2. & 8. c. 1. X. de sepul. Præterea, cuicunque, etiam filiis familiarum, si peculio castrensi gaudent, etiam vxoribus, eligendi ecclesiam, in qua sepeliri possint, libera facultas, c. 1. & 7. X. de sepult. c. 1. de sepul. 6. LANCCELL. inst. II. 24. n. 3. 4. 5. vt quilibet etiam discedere a priori consilio, quo sepulchrum elegerat, atque illud capere, & testamento locum sepulchro destinare possit: ibid. §. 24. Si canonum interpretibus, quos ZIEGLERVS h) adducit, fides est, etiam licebat iubere, ut alteri ecclesiæ commendatum corpus, post annum, in alias subinde transferatur. Certe BONIFACIVS VIII. extrau. commun. detestandæ, de sepult. concessit, vt corpora ex voluntate defuncti, in civitate aliqua, tradantur ecclesiasticæ sepulturæ ad tempus, & demum, incineratis corporibus, aut quondocunque visum sit, ad loca, vbi sepulturam elegerint, deportentur. Id tantum interdictum, ne exten-

e) GRVT. fol. 607. n. 1.
annal. XIV. c. 12.
T. I.

f) VARRO de lat. ling. I. IV. p. 40.

g) TAC.
h) ZIEGL. ad Lancell. II. 24. §. 2. n. 745. p. 1092.

tenderentur corpora, & membratim excoquantur, & ossa, carnis excusis, alio sepelienda transferantur. Cetera cuiuslibet arbitrio permissa: religiosis duntaxat, & impuberibus, propter obedientiae necessitatem, atque infirmitatem iudicii, exceptis. *LANCELL.* loc. cit. §. 5. & 6. Ne tamen obscurum sit, illud non tam morientium gratia, quam, ut controveneriæ, & contentiones clericorum, de commodis, & redditibus, quæ ex sepultura mortuorum ad illos perueniunt, distrahanter, atque sopianter, constitutum esse; placuit, canoniam portionem, id est, vel dimidiam, vel tertiam, vel quartam, pro consuetudine locorum, quasi legitimam quandam partem, matri debitam, ecclesiæ parochiali, in qua defunctus sacræ v̄sus sit, ex illis bonis, quæ quis pro salute animæ suæ clericis reliquerit, exsolui, c. 1. & c. 9. *X. de sepult.* Præterea, ut pauperum religio sanctius colatur, hoc etiam parochialibus ecclesiis tributum, ut, si rector ecclesiæ cum monasterio, cui libra sepultura concessa est, paetus sit, ne parochiani ipsius a monasterio ad sepulturam recipientur, illi, qui in monasterio sepeliri velint, desiderii compotes ne siant; sed in parochiali ecclesia sepeliantur. *LANCELLOTTI inst. III. 3. 5.*

Illud inhumanius, quod canones interdum corporum e sepulchris non *translationem* modo, sed necessariam *ejectionem*, praeceperunt. Enimvero, si in loco, vbi templum ædificatur, vel in cœmertiis, deprehendantur *infidelium* cadavera, quæ discerni possint, euellenda sunt, & longissime abiicienda. Ita enim sacræ canonibus esse constitutum *INNOCENTIVS* rescripsit, c. 12. *X. de sep. Inst. LANCELL. II. 24. §. 10.* Eandem indignitatem etiam illa cadavera patiuntur, quæ, cum alio loco sepelienda essent, a parochianis raptæ sunt, & contra canones, aut neglecta prouocatione ad pontificem, condita sepulchris. Ossa enim, & corpora, extrahenda sunt sedibus æternis, & sepulchris, atque ecclesiæ, cui destinata erant, cum omnibus emolumentis, & beneficiis, restituenda; ne quid cuiquam pereat, in tam sollicita cadaverum nondinatione. c. 5. & 6. *X. de sepult.*

§. XII.

Ex his, quæ dicta sunt, apparet, si pontificum canones audias, non solum mortuorum, & commendatorum, liberam esse, sed & sepulturæ perpetuae *An iure canonico in-traditorum*, aliquando necessariam *translationem*. Ne tamen existimes, temere, aut inconsulis illis, ad quorum curam res ea pertinet, corpora transferri posse. Quamvis enim hæc res explicate nullibi constituta sit, tamen, cum illo iure funera non sine ritibus, sacrisque ceremoniis, transferri possint, & præterea, *& ec-clesiastico protestan-tium funera* in illa *sine permisso transferan-* translatione, de peculio clericorum, & honorario, propter iusta funebria solendo, agatur, adeoque ecclesiæ intersit, ne quod mortuum corpus, *fut.* quod ad ipsas pertineat, sine causa illis subtrahatur, illarumque iura defendi debeant, non dubito, episcopis, aut qui illorum vices gerunt, & interdum pa-

S. 2

tro-



tronis, quibus & ipsis tutela ecclesiarum quodammodo delata est, translationem mortuorum tam commendatorum, quam sepulchorum, denunciandam esse: ut, quid cuique ecclesiæ debeatur, causa cognita, decerni possit.

Sed illud certe expeditum est, etiam ciues, qui veritatem Augustana confessione declaratam profitentur, & hunc coetum sequuntur, quamvis in terris, ubi pontificis auctoritas præfertur, decadant, transferri posse ad suos, & si velint, in patria, aut inter socios sacrorum, sepeliri: idque ab episcopis, aut magistratibus, omniwo permittendum, neque ab heredibus pro corporis exhibitione quidquam, præter sumptus funeris, ecclesiæ parochiali debitos, & definitos, exigendum esse. Quod illustris BERGERVS recte obseruauit, ⁱ⁾ & sanctissima lege in imperio, cum maxima consensione, constitutum. Audiamus enim ipsa pacis WESTPHALICÆ verba art. V. §. 35. Sive autem catholici, sive Augustanæ confessionis fuerint subditi, nullibi ob religionem despiciatur, multo minus a publicis coemeteriis, honore sepiulturæ arceantur, aut quidquam pro exhibitione funeris a superstitionibus exigatur, præter cuiusque parochialis ecclesiæ iura, pro demortuis pendi solita. Sed, & in his, & similibus, pari cum conciubibus iure habeantur, æquali iustitia, & protectione tuti. Vides igitur, & corpus exhibendum esse, & pro eo officio, nihil, præter iura ecclesiæ parochialis, exsolui: & æquali protestantes iure vti cum pontificiis; ut intelligi possit, cum illi, ex canonum præceptis, libere locum sepulturae eligant, idem illud etiam nostræ ecclesiæ alumnis tribuendum esse. Imo vero, cum & praecedente §. 34. art. V. instr. pac. Westph. Catholicorum subditi Augustanæ confessioni addicti, in vicinia, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, vel liberos suos exteris suæ religionis scholis, aut priuatis domi præceptoribus, instruendos committere, non prohibeantur, &c. dubitari non potest, etiam electionem sepulchri inter vicinos, & petitionem moribundorum, vt ritu & ceremoniis solennibus, qui inter ciues, suis sacris addictos, receptae sunt, sepeliantur, ratam esse debere: quandoquidem & sepulturae solennis procuratio ad diuini cultus partem, & ecclesiæ sacra solennia, omnino pertinet, adeoque nullius ciuis circa hanc libertas a magistratibus, vi sanctissimæ illius conuentionis, restringi potest, atque infirmari. Neque enim apparet ratio, cur moriui ex territorio, sacrorum causa, efferti non debeant, cum etiam viuis, quod plus est, §. 24. R. I. AVGVST. d. A. 1555. potestas emigrandi, atque e prouincia, sacrorum causa, discedendi, sedemque mutandi, data sit facultas. Certe illorum, qui e terris Augustanae confessioni addictis, negotiorum causa, profecti, in prouincia, catholicorum sacris imbuta, in itinere decesserunt, heredibus translationem corporum ad suos, vi huius conuentionis generalis, quae modo adscripta est, permittendam esse,

ni-

ⁱ⁾ BERG. oecon. iur. I. II. tit. I. §. III. not. 8. p. 210.



nihil haber dubitationis; quandoquidem ipsa vox naturae, quam canones etiam *pr. dist. i. lege & euangelio contineri agnoscent*, illud postulat, ut, quae ipsi, si apud nos decederent, sibi permitti vellent, etiam nobis in suo territorio morientibus, ne negent: quod si accideret, esse locum retrorsoni, tanto certius est, quanto magis diserte eiusdem instrumenti *pacis Westphalicae art. 17, §. 5. & 6.* constitutum, ut si quod huius pactionis caput a quocunque violetur, omnes imperii principes, si mitiora media non sufficiant, armis etiam, post triennium, ius suorum civium tueri, & ob iniuriam illis illatas vindicias expetere, possint. ^{k)} Quod incommodum ut anteveneratur, **F E S O L D V S** ^{l)} ait, moribus introductum, ut illorum, qui in principiis diversorum sacrorum territorio diem obeunt, heredibus, aut magistratis domicilii parentibus, corpus non facile exhibeat, nisi datis litteris reuersalibus, quibus pontificios eodem iure apud illum magistratum, si ibi decedant, usuros, promittatur: Weil sodann gewöhnlich, daß solche Personen, ad instantiam der Verfreunden, vel magistratus domicilii, anders nicht, denn auf einen Reuers, gefolget werden. Quam consuetudinem moribus vniuersae Germaniae receptam esse, non ausim affirmare; & si recepta non sit, res ipsa loquitur, necessarias non esse literas reuersales, cum lex illud etiam ab inuitis exigat, ut corpora ab utrisque liceat transferre; quamuis non proculs inutile sit, ut magistratus, datis eiusmodi litteris reuersalibus, de officio suo admoneantur, & materia controveneriarum tempestive succidatur.

Inter illos, qui sacra, Augustana confessione definita, profitentur, translatio demortuorum, in primis, qui nondum traditi sunt iustae sepulturae, quamvis remotis superstitionibus, non facile negatur; cum & patriarcharum exempla, Abrahami, Isaaci, Iacobi, & Iosephi, suadeant, ut voluntati defunctorum, qui in tumulum maiorum inferri desiderant, & heredum precibus, obtemperetur. Quae res ut minus difficultatis habeat, atque inuidiae & dissensionum materia sacerdotibus, quorum dignitati illae non convenient, omnino subtrahatur; *iura*, id est, honoraria, quae propter funeris ducendi religiosam ceremoniam parochis, & parochiali ecclesiae, si illo loco conderetur, soluendi essent, illis etiam hoc casu exsolvi, placuit. Interdum etiam cum sacris ritibus, & ceremonia solenni, sacerdotibus, & symphoniacorum choro, comitantibus, inter concentus campanarum, funus transfertur. Quapropter, cum magistratu ecclesiastico illud muneris impostum, ut nomine principis sacras ceremonias & solennes ritus tueatur, ac defendat, detque operam, ne sacerdotum & ecclesiarum res & redditus aliquid detrimenti capiant; hoc illi denunciandum est, ut an quid obstat, ne funus transferatur, & quibus ceremoniis funus deduci debeat, causa cognita, decernat.

S 3

Sed

^{k)} Vid. magnif. LEYS. medit. ad pandect. t. I. spec. 30. §. 5. p. 309.
^{l)} BE-
SOLD. thes. pract. v. Durchführung der Versorbenen, p. m. 199.



Sed a *magistratu politico*, vt illi, ad quos funerandi officium pertinet, transferendi corporis *veniam* impetrant, necesse non videtur: nisi aut metus turbarum, & tumultus, postulent, vt ille partes suas & auctoritatem interponat, aut in via projectum cadauer reperiatur, aut de corpore hominis in criminis deprehensi, aut in grauem criminis atrocioris suspicionem apud iudicem adducti, maxime vero de funere illius, qui manus sibi ipsi, conscientia sceleris, carcere intulerit, deliberetur: his enim de rebus ut cognoscat, & inprimis, vtrum pena de mortuis propter exemplum sumenda sit, atque an omnino humandus esse videatur mortuus, magistratus politici officio videtur conuenire. De ceteris non est, quod ad ipsum referatur. Ita enim diuus *A V G U S T U S*, quondam pater patriae longe clementissimus, contruersiam lege definit d. 13. Martii, 1719. Demnach wir, wegen Beerdigung der Selbst-Mörder, an Unsere Rechts-Collegia generaliter verordnet, daß bey Fällen, da die Selbst-Entleibung aus Melancholie, und nicht von Missethätern ins Gefängniß, oder unter des Criminal Richters Hand geschehen, gedachte Collegia sich des Sprechens enthalten, und die Sachen an die Consistoria verweisen sollen, immassen aus dem Einschluß in mehreren zu ersehen. Dahingegen diesenigen Selbst-Mörder, welche ex conscientia delictorum, und aus Furcht der ihnen bereits dictirten, oder doch noch zu gewarten habender Lebens-Strafe, zumal in atrocioribus, ihnen selbst das Leben nehmen, ihre Körper mit der Hinausschaffung auf dem Schinder-Karren, oder Schleife, und der Verwirkung in die Erde unter den Galgen, oder auch öfters noch mit Galgen, Rad und Feuer gestrafet werden, welche Strafe allerdings zur peinlichen Gerichtsbarkeit zu ziehen, und also niemand anders, als der weltlichen Obrigkeit zukommen fann, da dann die consistoria mit denen, welchen die sepultura ecclesiastica seu Reches, wegen versaget wird, so wenig zu thun haben, als es verbeten ist, daß die clerici sich in die weltlichen Händel, und sonderlich die casus sanguinis nicht mengen sollen, auch sonst viele unanständige und denen consistoriis selber beschwerliche Irregularitäten daraus entstehen würden, die Rechts-Collegia auch von undenklichen Zeiten alleine in dergleichen Dingen zu sprechen besugt sind &c.

Ceterum vt cadauera perpetuae sepulturae tradita, nisi ob delictum, & penae expetendae, aut cadaueris inspiciendi, causia, eruantur, aut alium in locum transferantur, raro, ne a potentibus quidem, impetratur. Habet enim ipsa distractio ossium, illorumque conspectus, aliquid, nescio quid, quod auersamur.

§. XIII.

An magistratis per tradita, transferri possunt, permisso illorum, quibus ius est illud permittendi.



di. Illud enim & vsu comprobari illustris BOEHMERVS^{m)} & plerique *ritoria* omnes, arbitrantur. Sed idem Vir Illustrisⁿ⁾ etiam hodie, ait, non solum *transfertur* imperrandam hanc permissionem, sed & *magistratui* merum imperium habenti, *in singulis locis* illam exhibendam esse: „vt constet, cadasuer *corpus de-* *nuncianda* „portandum morte naturali, non violenta, in quam alias inquire debaret, ex- *fit transla-* „tinctum esse &c.“ Quod & KLOCKIO, & BESOLDO, & STRY- *tio.*
 CKIO videri, supra fuit indicatum. Illustris BERGERVS *solere*, ait, trans-
 lationem corporum mortuorum, per locum iurisdictionis, argumento, l. 3.
 §. 4. *D. de sepul. viol. magistratui denunciari.* Quod quibusdam tam alte
 animo insidet, vt, si translatio non denuncietur, resisti, & corpus, donec
 sibi satisfiat, detineri posse, arbitrentur. Enimvero, quamuis illustri BER-
 GERO illud omnino dare debeam, moribus quorundam locorum illud intro-
 ductum, adeoque denunciari translationem magistratui *solere*; tamen il-
 lam aut necessario denunciandam esse, & permissionem, singulis in locis,
 magistratui merum imperium habenti, ex iuris necessitate, exhibendam, aut
 denique argumento l. 3. §. 4. *D. de sepul. viol. illud comprobari posse,* il-
 lud, inquam, mihi suspectum videtur, atque a veritate alienum. Neque
 enim, haec videatur Viri Illustris sententia fuisse. Nimirum, vt ab extremo
 ordiar, illa lex 3. d. *sep. viol.* aperte repellit oppidorum, per quorum territo-
 rrium corpus mortui transferri, magistratus, qui translationem sibi postu-
 lant denunciari. Audiamus VLPIANVM, qui, d. l. 3. ex edicto D. s. EVE-
 RI monet, „ne corpora detinerentur, aut vexarentur, aut prohiberentur per
 territoria oppidorum transferri: cum D. MARCVS praeterea rescripte-
 rit: nullam pœnam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti, per vicos
 aut oppidum transuixerint; quamuis talia fieri sine permisso eorum, qui-
 bus permittendi ius est, non debeant.“ Si quid video, illud rescriptum
 D. MARCI continet responsonem ad querelam magistratuum, qui illos ac-
 cusauerant, qui mortui corpus per ipsorum oppida transuixerant. Sed re-
 spondet imperator: male magistratus de illis conqueri, qui corpus in itinere
 defuncti per vicos, & oppidorum territoria, ^{o)} transueissent: huius rei ar-
 bitrium ad magistratus non spectare: satis esse; quod translatio ab illis per-
 missa sit, quibus sit ius, illud permittendi, id est, a principe, pontificibus,
 proconsulibus, senatu: horum decreta a magistratibus oppidorum infirmari
 non posse; sed esse constitutum, ne corpora detineantur, aut vexentur, aut
 prohibeantur, per oppidorum territoria transferri. Igitur, tantum abest,
 vt argumento huius legis magistratibus, per quorum territoria corpus trans-
 ue-

^{m)} BOEHM. de action. sect. 2. c. 4. § 69. not. y. p. 243.

ⁿ⁾ Id. ibid.

^{o)} Ne mireris, oppidis territorium tribui: non enim maiestatis titulus est, sed, interpte POMPONIO, l. 239. § 8. D. de V. S. notat, vniuersitatem agrorum, intra fines cuiusque ciuitatis: nostri Weichbild appellant.



uebitur, denuncianda sit translatio; ut potius conquiescere iussi sint, & ab omni iniuria & vexatione abstinere. Enimvero publice interest, ne qua mora illis fiat, qui cadauera exportant. Itaque, iam olim, teste **V L P I A N O** l. 38. *D. de relig. officium praesidis prouinciae fuit, prouidere, ne corpora, aut ossa, mortuorum transferendorum detincantur, aut vexentur, neve prohibeantur, quo minus via publica transferrentur, aut sepelirentur.* Ex quo apparet, quod, cum praeses prouinciae iter cum cadaueribus mortuorum facientes tueri, & iniuriam ab illis defendere iussus sit; non sit necesse, ut magistratibus hoc denuncietur, aut venia ab ipsis impetretur. Vana est illa, quam magistratus iter facientibus obiicerent, & inutilis difficultas, quandoquidem, docente **V L P I A N O**, l. 1. pr. & f. 1. *D. de mortuo infer.* ille vim facere sepelienti videtur, qui illum itinere arcer ad sepulchrum, in quod ipsi mortuum inferendi, altero inuitio, ius est. Itaque magistratus, qui inferenti resistit, interdicto *de mortuo inferendo* tenetur. Imo vero vim publicam commisit, & ex *lege Julia* accusari potest, qui aliquid fecit, quo minus aliis funeretur, aut sepeliatur. l. 8. *D. de sep. viol.* Quid igitur opus est, ut magistratibus id, quod prohibere nequeunt, denuncietur: quandoquidem in publicis locis, quae l. 2. f. 3. *D. ne quid in loc. publ.* etiam via publica refertur, tantum iuris cuilibet competit ad obtainendum, quantum alteri ad prohibendum l. 2. f. 2. *D. eod.* quapropter, si cui eximatur commodus viae publicae interdicto locus est. l. 2. f. 25. *D. eod.* & l. 1. *D. de loc.* & *itin. publ.* Denique, si quid etiam iuris magistratibus in via publica competenteret, tamen temperare sibi deberent, ne cadauera derinerentur. Nam si **P A P I N I A N O** credimus, l. 43. *de rel.* propter publicam utilitatem, ne cadauera insepulta iaceant, strictam rationem, id est, regulam iuris, (quo sensu ratio l. 16. *D. de leg.* & alibi passim accipitur,) strictam, inquam, rationem deserimus, & humanitati locum damus. Imo vero ob hanc caussam etiam vestigalia ab illis, qui funus transuehunt, exig: non posse **C V I A C. I. XI. obs. 22.** Videntur quidem l. 37. *D. relig.* vestigalia ad sumptus funeralis referri; sed eo loco aut *vestiaria* legenda sunt, aut lex illa per l. vlt. *C. de rel.* sublata est.

causa, ducatur, non solum iniuriarum actione teneri: a l. 8. *D. de relig.* sed & interdicto, de mortuo inferendo, ex l. 1. *l. 1. D. de mort. inf.* itemque extraordinariis actionibus, ex l. 38. *D. de relig.* & ex edicto D. MARCI, a l. 3. *l. 4. de sep. viol.* contra ipsos locus esse: ne corpora temere vexentur, & deinceps. Quod vero multi ex Ictis permissionis schedulam in singulis locis magistratui, merum imperium habenti, exhibendam esse, aiunt, vt constet, cadauer transportandum morte violenta, in quam inquirendum alias erat, non esse extinctum, hoc mihi durum videtur, & eum acerbitate aliqua coniunctum. Enimvero expediti juris est, *delicta*, nisi probabili indicio prodantur, *non præsumi*. An igitur magistratus, cadauere conspecto, statim illud violenta morte esse extinctum, poterit omnino recte suspicari? Misera profecta esset conditio illorum, qui funus ducunt, si, quod illi desiderant, probandum esset, corpus illud non morte violenta periisse. Quis vñquam postulavit, vt quis criminis se purget, si nullis indicis in suspicionem adducatur? Sæpius profecto naturali morte, quam violenta homines occubunt. Ergo, quæ plerumque sunt facilius, quam quæ raro accidunt, credi debent. Imo vero, si ex solo conspectu cadaueris suspicio cædis oriaretur; ad officium magistratus pertineret, vt, quotiescumque aliquis in sua ciuitate moritur, inquireret, an morte violenta occubuerit defunctus: igitur funestæ familiæ, quæ in tanto luctu blande potius afficienda esset, statim lictor, statim fasces & secures imminebunt, qui, qua morte defunctus occubuerit, inquirent. Quibus omnibus adducor, vt credam, non esse necessarium, vt oppidorum magistratibus, per quorum fines cadauera transferri debeat, id denuncietur. Contra, si suspicio cædis iusta oriatur, nemo magistratum prohibet, ne ex officio in illam rem inquirat. Extremo, quod illustris BERGERVS affirmat, si cadauer per locum iurisdictionis transferatur, solere illud magistratui denunciari; ad consilii potius rationem pertinet, quam ad legem, & officii necessitatem. Neque enim negarerim, consultum esse, vt denuncietur; ne qua pompa funebri mora a magistratibus obiiciatur, vtque iter facientium securitas a magistratu defendatur, atque omnibus difficultatibus omnino tempestine occurratur. Sed illustri & beato viro non in mentem venit, quod hoc moribus vniuersæ Germaniæ receptum sit, vt translatio cadaveris omnibus magistratibus denuncietur. Certe, sicubi illa consuetudo obtineat, contrariæ consuetudini, & remedii possessoriis, locum dari posse credo, quibus illi, qui funus ducant, defendantur. Ita certe ordini Ictorum in hac academia visum est, cum aliquando acta ab exteris transmissa essent, in quibus eiusmodi species tractabantur: nobilis quidam mortuus erat, quem heredes, via quadam, qua sæpius ex illa domo corpora mortuorum deduxerant, in hereditarium sepulchrum transuehebant. Sed magistratus pagi vicini, cuius fines illa vita attingebat, sibi denunciandam fuisse translationem existimauerat: ideoque collecta rusticorum manu, fustibus & hastis armata, viam obsederat. Cum
Fasc. III. T pom-



pompa funebris illum locum attigisset, ventum erat ad manus, visque vi repulsa: heredes mortui illum, qui viam obsederat, in ius vocauerant, & remedio retinende possessionis, vel quasi, vi cuius funus sibi via ista sine denunciatione transferre liccat, vli erant: reus ad ius commune, & consuetudinem Germaniae vniuersæ, protocanerat. Sed ab ordine ICTORUM, Mense Junio 1732. responsum: Daz Klägere bey der erlangten posses vel quasi des Rechtes, ihre Leichen von B. nach B. ohne solches in Beklagtens Gerichten anzumelden, auf der von E. nach B. abgehenden ordentlichen Straße führen zu lassen, so lange bis Beklagter im petitorio ein anders ausgeführt, billig zu schützen &c. B. R. W. adiectis, inter alias, his rationibus: Alldieweiln Klägers posses vel quasi aus denen angezogenen eydlichen attestatis zur Gnüge erhellet, auch, vermöge der natürlichen Freyheit, einem seden, sich der ordentlichen Straße zu gebrauchen, fren steht, also Klägere eine starke præsumption ver sich haben, demnach, Beklagter, wenn er die Vorbeiführung der Leichen ohne vorhergehende requisition fernerhin nicht gestatten will, diesfalls im petitorio ein ius prohibendi ausführen muß, &c. So ist als im Urtheil enthalten, von uns billig erkannt.

Sed, si per alterius principis territoriorum funus transferendum, utique via impetranda est, secundum strictam iuris rationem: cum vicini principis permissione, extra territorium, fructu careat, atque alterius concessio de alterius iuribus & potestate nibil detrahere, neque iura vicini infirmare, possit. Quamvis humanitatis certe, & gentium, officia, ne durius cum mortuorum corporibus agatur, & ne, quod sibi a vicinis præstari optant, ipsi illis denegent, impetrare videantur.



XVIII.



XVIII.

DISSERTATIO

DE IVRE VRBES MVNIENDI

ET

MVNITIONES REFICIENDI.

EX LEGIBVS ROMANIS ET IMPERII GERMANICI PUBLICIS.

VITEMBERGAE, AD D. AVG. ANNO Q. S. P. E. MDCCXXXIV.

§. I.

Quandoquidem, teste **TULLIO**, ^{a)} si circumspiciamus omnia, quæ hominibus grata & iucunda sunt, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium, reperiemus, eiusque felicitatis fructus, nobis quidem, qui in studio litterarum occupamur, tanto dulcior esse debet, quanto certius, non in rebus impeditis atque perturbatis nascitur doctrina liberalis, sed *pacis* comes est, otioque socia, & fiorentis reipublicæ alumna; ^{b)} immortales potentiissimo regi, *Augusto III.* patri patriæ longe clementissimo, gratias debemus, quod, præter innumera beneficia, quibus ab ipso Saxonia ornatur, non solum eius cura & prouidentia effectum est, vt, in summa perturbatione Germaniæ, & gentium finitimarum, pacem tutam, & tranquillam, & placidissimam trahamus, sed quod etiam prospexit, ne periculum sit, vt illa in posterum omnino careamus. Enimvero, recte **EPAMINONDAS** ^{c)} Thebanos docuit, qui dintina pace frui velint, *bello* exercitatos esse debere: & Corinthii apud **THVCYDIDEM** ^{d)} sapienter moniterunt, *pacem imprimis studio armorum*, & belli, confirmari: neque, præcipiente **PATERCVLO**, ^{e)} celerius quisquam opprimitur, quam qui nihil timet: denique securitas pacis, & otium, si **CATULLVM** ^{f)} audiamus, etiam reges, & *vrbes*, perdidit, atque in periculum adduxit. Quapropter sapientissime augustissimus pater patriæ haud ita pridem d. 29. April. huius anni, magistratibus oppidorum & *vrbi* edixit, darent operam, ne

T 2

quid,

- ^{a)} CIC. orat. I. pro leg. agraria, circa fin. t. II. op. p. 403. ^{b)} CIC. in Bruto, c. 12. ^{c)} NEPOS in Epaminond. c. 5. §. 4. ^{d)} THVCYD. hist. I. I. edit. Henrici Steph. p. 31. lit. D. ἐν πολέμῳ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιῆται, αὐτὸν υπερχει δέ μη πεισμῆσαι σὺν οὐσίως ἀκινδυνού. ^{e)} VELL. PAT. lib. II. c. 118. n. 2. ^{f)} CATULL. carm. 49.

Orum & reges prius, & beatas perdidit *vrbes*.



quid, per otium, oppida detimenti acciperent, iuuentutem atque ciuitatem haberent in armis, sagittariorum industriam acuerent, commeatus, & reliquas merces, quibus ad prohibendam iniuriam hostium, & bellum administrandum opus esset, conueherent, atque ad futura pericula, si qua accident, reseruarent, urbes in primis munirent, excubias & vigilias disponerent, muros, fossas, opera, portas reficerent, & praesidiis firmarent, nihil omitterent, quod ad spem & fructum securitatis, non solum praesentis, sed etiam futuræ, pertineret. Audiamus verba potentissimi Augusti:

So ist Unser gnädigstes Begehr, und zugleich ernster Befehl, daß die Räthe in denen haltharen Städten die Mauern, Graben, und Thore, wo selbige etwa eingegangen, ohne den geringsten Zeit-Verlust, repariren, die letztere mit tüchtiger, wehrhafter Mannschaft besetzen, &c. &c. nicht weniger bei nächtlicher Zeit, die mit Wache versehenen Thore wohl zu halten, hiernächst sämtliche Räthe die Bürgerschaften in die Waffen bringen, nicht weniger die Verfugung treffen, daß sie mit guten Gewehr, und dazu gehöriger Munition in Zeiten versehen, vornahmlich die jedes Orts aufgerichtete Schützen-Gesellschaften, welche auch in dieser Absicht mit besondern Befreyungen versehen, in gute Ordnung setzen, damit dieselben so wohl die Städte selbst defendiren, als auch an diejenige Orte, wo sie hin commandiret werden dürfen, so fort marchiren können &c. &c.

Quod consilium, tanto principe dignissimum, ut optime eueniat, patriæque commodum & salutare sit, ex animo precamur. Sed, quanquam nos quidem gladiis & clypeis, & thoracibus non nitimus, soloque vocis munimine, quod LEO & ANTHEMIVS imperatores l. 14. C. de aduocat. diuers. iudicior. aduocatis præceperunt, patriam defendere, & prodeesse reipublicæ debemus; ne tamen nostra pietas in communibus patriæ necessitatibus desideretur, & otiosa sit, defungemur qualicunque officio, & de iure munierendi urbes, quibus auspiciis munitiones institutæ, in Germania in primis, quorum auctoritate amplificatæ sint, quorum studio & sumptibus reficiantur, commendatione luculenta expoenemus.

§. III.

*Studio-
securitatis et
munitionum
natura nobis
commendat.* Ita nos natura comparauit, ut ad prohibenda pericula, iniuriamque præsecuriratis et pulsandam, & securitatem, etiam cum iactura insignium bonorum, redimentum, maiori fere, quam ad commoditates vitæ sestandas, & incunditates præcurandas, studio seramur. Enim uero, cum sensus calamitatis, & incommodorum, quem natura auersatur, etiam coniunctus sit cum iactura præsentium bonorum, atque voluptatis, eodemque tempore, quo molestias patimur, a quibus abhorremus, etiam deliciae, & suavitates, quas quarimus, nobis subtrahantur; necesse est, si quid mali ingruat, dupli dolore nos attingi: contra, cum omnis de-



delectatio simplici iucunditate, quæ mox prætereat, & evanescat, finiatur; con-
sequens est, grauius animum, atque vehementius cogitatione & metu malorum,
quam spe, & studio commoditatum, atque emolumentorum, commoueri.
Quapropter, quamuis affirmare non ausim, quod HIERONYMVS RHODIVS,
apud TULLIVM^{g)} docuit, illud summum bonum esse, nihil dolere, & vo-
luptatem ipsam positam esse in vacuitate aliqua ægritudinis & molestiarum; il-
lud tamen expeditum est, homines imagine periculorum vehementissime pertur-
bari, atque ab ipsa nos natura compelli, ut studio, & cogitatione, & neruis
omnibus, in primis a malis imminentibus nos defendamus, atque res nostras in
locu idoneo, & contra periculi suspicionem munito, collocemus, ut metu, in-
iuria, dolore carere studeamus. Ipsa diuina illa prouidentia, qua regimur, illa
effectrix & procuratrix tantarum, tamque admirabilium utilitatum, dici non po-
test, quam sollicite ipsi etiam corpori nostro prospexerit securitatem, quam di-
ligenter cauerit, ne quid excellens illa humani corpusculi fabrica omnino detri-
menti patiatur. Hoc est, quod palpebrae, munitæ tanquam vallib aliquo pilo-
rum, oculos, prominente quodam munimento, aduersus occursantia animalia
defendunt, & si quid fortuito incidat, repellunt,^{b)} atque ad omnes partes cum
celeritate maxima mouentur: quodque ipsi oculi, non solum tanquam speculato-
res altissimum locum obtinent, sed latent etiam utiliter, & excelsis vndique par-
tibus sepiuntur: nasus ita collocatus, ut quasi murus quidam oculis interiectus
videatur. Porro interioris corporis partes externis, palatum lingua, hæc den-
tibus, dentes labiis, nerui cuticula teguntur, totum corpus manibus, quasi pro-
pugnaculis quibusdam, ad arcendum dedecus, atque iniuriam, oppositis, atque
objectis, defenduntur. Ex quibus omnibus collatis inter se, atque comparati-
tis, cum ipsum corpus tam prouide munitum, & protectum intelligerent, ho-
mines, magistra adeo natura, artes ad usum vitæ necessarias effecerunt, & per-
fectissimum exemplum imitati, turres excitarunt, moles instituerunt, machina-
tiones instruxerunt, seque, & parvulos liberos, supellestilem, & greges, diui-
na, & humana omnia, substructionibus, muris, maceria, vallo, operibus lateri-
tiis, cinxerunt, & si alia non essent in promptu, naturalibus sepimentis, quæ
VARRO appellatⁱ⁾ vxi sunt, illa spinis & virgulis, quæ introeuntium vim pro-
hiberent, obseuerunt: nihil, nisi quod obiectum, & ab omnibus partibus ob-
firmatum esset, tutum, certumque crediderunt:^{k)} denique illam vocem natu-

T 3

125

g) CIC. de fin. bon. & mal. I. II. c. 14. b) CIC. de nat. Deor. II. 21. PLIN.
hist. nat. I. XI. c. 13. i) VARRO de re rustica, I. I. c. 14. k) Eun-
dem fere in modum ab augustissimo legislatore, editio supra exciato, d. dato 29.
April. 1734. rusticis nostris imperatum: Ferner ist unser allergnädigstes, und zum
besten derer auf dem Lande wohnenden, abzielendes Unsinnen dahin gerichtet, dass
sie ihr in der Wirtschaft entbehrliches Getreyde und sonst habende Vorräthe, bey
Zeiten in die nächst anliegende haltbare Drihe bringen, bey mehr annahender Gefahr
aber,



ræ, quam FLORENTINVS l. 3. D. de iustit. & iur. tradit, accepunt, ut vim atque injuriam propulsare licet; &, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur.

§. III.

Omnis fe- Quæ singulorum in suis, suorumque, sedibus vallandis, & munitione se-
re gentes mu- piendis, cura & prouidentia fuerat, ad gentes etiam, & nationes transit, atque
nitionem a nullis intermissa, tanto grauior omnibus visa est, quanto magis intererat, va-
studio tenen- gam multitudinem, quæ in vnius ciuitatis corpus coalescere debebat, vinculis
tur. quibusdam, & studio communis securitatis, contineri: qua soluta, & amissa,
neceſſe erat, diuidi membra ciuitatum, & diffugere, atque omnino dilabi in di-
uersas partes. Vix opera pretium est, ire per exempla. Necesitas, & na-
tura, & populi, qua patet terrarum orbis, finibus inter se discreti, argumento
sunt, interiiciendam fuisse in medio molem inter illos, qui rationes separatas,
& seiuēta inter se commoda haberent: cum, quamvis, docente FLORENTI-
NO, l. 3. D. de iustit. & iur. natura cognationem quandam inter nos consti-
tuerit, adeoque nefas sit, hominem homini insidiari, tamen statim ab initio ho-
mines hominibus suspecti fuerint, &, ne quid alter sibi in alterum licere cre-
deret, timuerint, atque omnino tutos se non esse posse crediderint, nisi opposi-
tis quibusdam repagulis vim imminentem prohiberent.

Quidam, dissimulato nomine, rem retinuerunt, nisi vel naturæ beneficio,
& locorum opportunitate, vel vi armorum, & militum alacritate, vel alio præ-
ſidio, ut res ferebat, comparato. *Scytharum* quidem solitudines, atque ne-
gligentia munitionum, & ædificandi, Græco etiam proverbio deridebatur. Sed
noli existimare, Scythes omnino consilia securitatis munienda neglexisse. Plau-
dunt enim sibi de securitate sua apud Q. CVRTIVM (quod deserta, & huma-
no cultu vacua, potius sequantur, quam vrbes, atque munimenta: cum ipsis
locorum natura, & exercitatio arinorum satis muniisset. Igitur ab Alexandri
exercitu omnino non timebant, cum ipsi latibilis syluarum, & itinerum amba-
gibus, defenderentur: ex quibus, vbi res postulabat, reuertebantur opportune,
&, si quis procul ipsis abesse crederet, in hostium castris versabantur. Itaque
hæc

aber, und besorglichen Streifserenzen, diejenige Veranstaltungen, welche in dem
Eingang erweckten Mandate, ihnen alsbald angezeigt, besolden, sich auch nach
Besiedeln und Situation dener Orthe, in die rechte Wälder laubiren, darinn ver-
hauen, und dem räuberischen Feinde, durch Verkehrung aller möglichen und
standhaften Gegenwehr, welcher wir von Unserem getrennen Vasallen und Unter-
thauen umb so viel mehr gewärtig seyn, als die Uns geleistete thunere Unterha-
uen, Pflicht und Schuldigkeit, sie ohnedies darzu verbindet, und dero Vorfahren
ihnen hierunter, und besonders in vorigen Kriegs-Läufen, mit gutem Exempel
vorgegangen, Abbruch zu thun, von selbst bereit seyn werden ic.

D. Q. CVRTIVS l. VII. c. 8. §. 22. 23.

hæc arx inaccessa, hoc firmissimum ipsis, quod PLINIVS de Traiano assir-
mabat, ^{m)} munimentum fuit, quod munimento non egerent, id est, quod
in natura locorum, & opportunitate casuum, præsidium subitarium quererent,
quod alii vix operibus, & industria, & arte, comparabant. Igitur ne Scy-
rhæ quidem a naturali arte sedes muniendi abhorrebat. *Maiores nostri*,
& ex illis Tenebrei maxime, quos ad Rhenum incoluisse, TACITVS ob-
seruat, ⁿ⁾ ab Vbiis, ut munimenta seruitii, muros, coloniae detraherent, po-
stulauerunt: quod eriam fera animalia, si clausa teneas, virtutis pristinæ
obliviscantur. ^{o)} Adeoque videntur auersati esse moenia, ut cingi illis, ve-
lut animalia retibus, non solum non euperent, sed etiam, si quid tale a qui-
busdam factum esset, illud turpe, & cum ignominia coniunctum esse, arbit-
trarentur. ^{p)} Naturam aperuisse terras omnes viris fortibus, commemo-
rabant: ^{q)} inque illa sententia tam pertinaciter perseverabant, vt, si TACI-
TVM audias, ^{r)} nullas Germanie populi urbes habitarent, ne iunctas qui-
dem inter se domos paterentur; sed inter se discreti, & diuersi, colerent,
vt fons, vt nemus, placuisset. Vicos certe cohærentibus, & connexis aedi-
ficiis, omnino non fecerant. Quod ne homo, in Germania peregrinus,
commentus esse, aut vera ignorasse, videatur, qua criminazione THOMA-
SIVS ^{s)} in Tacitum vtitur; moris prisci apud Germanos vestigia etiam ho-
die obseruantur: quandoquidem prædia nobilium, quae sola videntur veter-
num aedificia fuisse, circumiectis seruorum, & rusticorum tuguriis, quibus
familiam etiam veteres recipiebant, solitaria, atque a vicinis, interuallo non
modico, sejuncta, etiam nostris temporibus, perdurant.

Sed, ne tamen existimes, Germanos a studio securitatis, & machinatio-
nibus, aduersus imperium, & hostes, instruendis, quarum necessitatem natu-
ra ipsis imponebat, penitus abhorruisse. Muros quidem, quibus colonia a
Romanis clausa tenebatur, & munimenta seruitii, sibi circumponi, indignius
ferebant: non quod haec ad securitatem necessaria non iudicarent, sed, quia
moenia, a viatoribus, non tam securitatis causa, quam, vt ipsis in officio, &
seruitute contineantur, iastituta esse intelligebant. Ipsi vero, teste eodem
TACITO, ^{t)} suam quisque domum spatio circumdabant, & sepe muniebant,
sive aduersus ignis casus remedium, seu, quod aliud consilium non suppere-
bat, incititia aedicandi. In tanta igitur simplicitate vitae, & consenu animorum, quo Germani plerique inter se coniungebantur, satis videbatur, si
singuli se, & domum suam, priuatis munitionibus, periculi suspicione libe-
rarent. Urbes vero, & oppida, non instituebant; sed, cum ad arma ven-
tum

^{m)} PLIN. in panegyr. Trai. dict. cap. 49. §. 3. ⁿ⁾ TAC. de morib. Germ. c. 32.
& 38. ^{o)} TAC. hist. l. IV. c. 64. ^{p)} AMMIAN. Marcell. l. XVI.
cap. 10. ^{q)} TAC. hist. IV. c. 64. ^{r)} TAC. de mor. Germ. cap. 16.
^{s)} THOMAS. de iure dandæ ciuit. §. 17. ^{t)} TAC. de mor. Germ. c. 16.



rum esset, vniuersi pro singulis se opponebant. Praeterea, ut, in rebus difficultibus, esset, quo se reciperent, *specus* subterraneos aperiebant, ^{u)} su-
fugium hiemi, receptaculum frugibus, aut, si quando hostis ingrueret, ut
ipsi laterent, & fallerent praeterentes. Hanc solertiam, ad securitatem pri-
uataam, atque singulorum, sufficere credebant. Ciuitates autem vniuersas,
sedes suas *desertis* etiam, quibus hostes arcerentur, & solitudinibus, *valla-*
bant. Ciuitatibus enim, teste CAESARE ^{x)} maxima laus erat, quam latissi-
mas circum se, vastatis finibus, *solitudines* habere. Hoc enim se *tuiiores*
arbitrabantur, repentinae incursionis metu, ipsa vastatione finium, sublato.
Extremo, faciamus, munitiones neglexisse penitus Germanos; totam tamen
Germaniam defendere in primis Rhenus credebat, ^{y)} difficilimus traiectu,
donec Caesar mirifico opere naturam superaret.

Ex quibus rebus apparer, non contempnisse Germanos munitiones, &
praesidia securitatis; sed *moles* duntaxat, atque *moenia*, non excitasse: quum
& inter se, proper fidem, & amicitiam, quam sanctissime colebant, tuti es-
sent, & ab exteris, ipsius naturae prouidentia, defenderentur. Qua com-
moditate cum carerent Galli, diligentius aedificarunt, & *urbes moenibus* tam
sollicite cinxerunt, ut horum altitudinem, & decus, ad virilitatem, & defen-
sionem urbium, accommodatum, CAESAR etiam probaret ^{z)} &, magistrum
summi artificii, naturam miraretur.

Vides igitur, gentes plerasque, etiam illo tempore, quo, ad reliquias
commoditates, nondum satis opportunitatis, & praesidii, habebant, pri-
mum, maximumque, studium in securitate vitae, & defensione sedium, omni-
no posuisse. Soli fere SPARTANI, ad ingenium Lycurgi singularibus praee-
ceptis informati, videntur a gentium reliquarum institutis discessisse ^{a)} Ma-
gis enim scientiae rei militaris, & exercitationi armorum, quam substructio-
nibus, & operibus, & muris tribuerunt: urbem *armis*, non *moenibus*, de-
fendendam censuerunt. Sed haec tunc quidem acciderunt, cum vel sola
paupertas Laedaeemonios, ab incursione gentium finitimarum, defenderet, &
tantum ipsi reliquos vincerent scientia pugnandi, quantum reliqui Spartanos
copia diuinarum superabant: ut ciuium virtus vrbi murus esse posse videtur,
& contra ipsos alii consistere omnino non auderent. Sed, postquam
auctae sunt difficultates bellorum, ut Graeciae omnes nationes non minus ex-
ercitatione armorum, quam opibus, valerent, sparta etiam moenibus cincta
est, & aduersus vim hostium munita. Quod cum lacedemonii facerent,
non tam degenerarunt a maioribus, quod IVSTINVS caussatur, ^{b)} quam
necessitati obtemperauerunt, quae praesidium aduersus vim hostium quaere-
re

^{u)} Id. eod. loco. ^{x)} CAES. de bell. I. gall. VI. 23. ^{y)} Id. I. IV. c. 16. §. 1.
& z. ^{z)} CAES. de bell. gall. I. VII. c. 22. 23. ^{a)} IVSTIN. hist. XIV.
c. 5. ^{b)} IVSTIN. eod. loc.



te iubebat; cum, ciues saluos non futuros, cernerent, nisi intra muros conderentur.

§. IV.

Igitur apparet, omnes fere gentes, quibus cura salutis suae, & conservandarum rerum, commendatior fuit, praesidiis quibusdam, aduersus ingruentem vim hostium &, in primis munitionibus, usas fuisse; quandoquidem satius videbatur, securitatem vitae, & ducarum, humanarumque, rerum omnium possessionem, molibus, & substructionibus saxonum, quam sanguine ciuium, defendi, tutiusque erat, vim hostium propugnaculis e longinquó, quam cominus exercitu, arcere.

Sed in primis tamén urbes, quibus praecipius rerum publicarum nervus continetur, apud gentes plerasque videntur muris, atque operibus, muritate: vt de summa rerum ibi tatius deliberetur, & conuentus procerum commodius haberi possint, vtque sit aliquid suffugium commune, in quod, si qua vis maior immineat, res maximi pretii, quas quisque seruari velit, e locis minus idoneis, tanquam in portum, conuehantrur. Enimvero, quod Illústris BOEHMERVS^{c)} a tyrannis urbes excitatas, & mœnia, non tam securitatis cauissa, quam, vt vaga multitudo, quae in ciuitates confuxerat, quasi carceribus quibusdam, compesci posset, instituta esse, monet, me non adducit, vt a leantia discedam. Vnius enim consilii plures possunt esse cauissæ, & inter illas ea probabilior est, quae & ipsi negotio, & generatim ingenio humano, esse accommodatior videtur. Certe, etiam tyranni, magis fere habent, quod ab exteris, & finitimis gentibus meruant, quam a ciuibus suis, qui in unum corpus coauerunt, &, ipsis necessitatibus suis, & cognationibus, inter se complicati, & constrecti, continentur. Praeterea, ipsa operum, & munitionum, forma magis ad vim externam propulsandam, quam ad ciues coercendos, comparata est: vt ausim affirmare, urbes, in primis securitatis externae cauissa, muris & aggeribus munitas.

Illud caret dubitatione, urbes ab vniuersitate agrorum, & vicis, atque rusticorum tuguriis, maxime muris & fossis, & munitionibus, discerni. Germani urbes Städte, deducto nomine, ab eo quod firmum & stabile, & satis munitum est, a voce stet, id est, feste, appellantur; vt intelligatur, Germanos in urbes, tanquam in sedes stabiles, & certas, & munitas, confugisse. Ideo, ciues etiam, qui in urbibus incolunt, burgenses dicti sunt, Bürger, a burgis, & munitionibus, aut castellis, & operibus, quibus urbes defenduntur. Certe fines illi, ad quos obtinendos urbes in Germania ex-

c) BOTHEM. ius publ. vñin. part. spec. I. I. c. 1. §. 14 seqq.



exstructæ sunt, ostendunt, vrbes sine munitionibus, & muris, parum siuisse profuturas. Germani enim vrbes *opificum* caussa, vt illi in iuto essent, nullisque periculis perturbarentur, vtque *coniuicia*, & conuentus, securius haberet, vt *episcopi* commoditatibus vitæ tranquillæ, & securæ, vii possent, considererunt. De quo argumento erit deinceps locus exponendi. Hæc omnia, illis temporibus, quibus omnia per vim administrabantur, sperari non poterant, nisi *muris*, & munitionibus, & portis, latrones, atque incursionses hostium repentinae, arcerentur. Igitur videtur natura negotii, & caussa, propter quam vrbes instituta sunt, postulauisse, vt *vrbes muris* cingerentur. Certe maiores nostri, veteri prouerbio, quod SCHOTTELIVS^{d)} itemque HER TIVS^{e)} inter Germanorum paroemias, enarrauunt, Börger und Bure, scheidet nichts, denn die Mure: seu, quod nostri dicunt, Müntzger und Bauren, scheidet nichts, denn die Mauren, a rusticis burgenses, solis duntaxat mœnibus, discerni, olim quidem professi sunt. Nihil igitur, si rem ex more maiorum aestimes, certius, quam quod supra diximus, inter vrbes & vicos, inter ciuium coniunctiones, & rusticorum sodalitates, quantum ad formam externam attinet, solum discrimen *murorum* & mœniū, quibus in vrbibus locus erat, interfuisse. Quapropter Germani vtraque voce, Stadt und Mauren, promiscue vbi sunt: & in tria parœmia: Es fleugt keine Henne über die Mauren, tradente BE SOLDO,^{f)} atque HER TIO^{g)} murorum appellatione vrbes notauerunt. Itaque, ab initio, muri, & moenia, si veteres audias, vrbium propria visa sunt, & muris nominatis, vrbes intellectæ.^{h)} Postea, cum omnia satis tuta in prouinciis haberentur, nihilque ab illis, qui eiusdem principis imperio continentur, timeri posset, munitiones interdum ab illis, qui in vribus incolebant, intermissæ, & satis visum est, fines tantum cuiusque prouinciae, operibus, atque praesidiis, firmari. Ex illo tempore vrbes in *vrbes munitas*, haultbare Städte, so mit Mauren Graben und Thoren versehen, & *vrbes apertas*, offene Städte, diuise sunt: cum quedam vrbes vel loci natura satis munitæ viderentur, vel incolae solis iuribus burgensium contenti essent, & munitiones non desiderarent, neglectis moribus, & institutis, maiorum, qui vrbes mœnibus cinxerunt.

Id enim certum est, muros, & mœnia, vrbibus, quas veteres praefidium aduersus pericula esse voluerunt, in primis conuenire. Neque res egeret disputatione, nisi V. C. GEORGIVS BEYERVSⁱ⁾ turbas daret.

IIIe

^{d)} SCHOTTEL. von der teutschen Haupt: Spr. I. c. tract. 3. §. 18.

e)

HER TIVS. I. II. de paroemias iuris German. paroem. 10. t. III. opusc. vol. I. p. 602.

^{f)} BE SOLD. de tribus domest. societ. spec. dife. I. c. 6. §. 4.

g)

HER TIVS de paroem. iur. germ. II. paroem. II. vol. I. t. III. p. 608.

h)

CONRING. de vrb. Germ. §. 4.

i) BEYER. spec iur. Germ. I. I. c. 2. §. 2.



Ille enim auctor est, etiam *vicos* subinde in Franconia, & finitimiis tractibus, opere lateritio vallari. Sed quis non videt, quantum discriminis inter *opus lateritium*, cui in vicis locus est, & quo vix oves & vituli arecentur, & inter *muros*, quibus urbes, ad impetum hostium arcendum, muniuntur, intercedat. Sed faciamus, *vicos* in Franconia iisdem, quibus urbes, mænibus firma-ri. Illud tamen nemini dubium est, hoc institutum abhorrire a maiorum moribus, illisque vicis, si qui muniti sunt, aliquid *juris urbici* a posteris admixtum esse.

Sed de Germanorum urbibus deinceps videbimus. *Romani* profecto, urbem, quae mænibus careat, ne cogitare quidem potuerunt, Pomponius enim *l. 239. s. 6. D. de V. S. urbem ab vrbo*, ait, appellatam: sed urbū appellari curuaturam *aratri*, quod in urbe condenda adhiberi solet. Illo aratro circulus exprimendus erat, & definiendus locus, quo mænia consti-tuerentur. Docet illud *CATO* apud *ISIDORVM*^{k)} qui ab illo, qui ur-bem condit, tauro vel vacca arandum esse, ait, & ubi arauerit, ibi murum faciendum. Hoc ritu ipsum Romulum in urbe condenda usum esse, *NASO*^{l)} affirmat:

Ipsè premens stiūam, designat mœnia sulco.

Idem etiam *MANILIUS*^{m)} illis, qui urbes instituunt, praecepit:

Moenia succinctus curuo describat arato.

Nolo verbosus esse in re manifesta, quam præses singulari commentatione de publica ceremonia, qua urbes condebantur, enarravit.

Illud apertum est, urbes ab urbo, id est, sulco, quibus locus *moenium* designabatur, a Romanis ditas esse: adeoque *urbem*, quae mænibus careat, omnino intelligi non posse. Ne quis dubiter, etiam *PAVLVS l. 2. D. de V. S. muris*, inquit, *urbis* appellatio finitur. - Romulus certe in tanta pau-perate sua, *urbem*, quam instituerat, muris, & mænibus firmauit, illisque credidit præcipuam *urbis* sanctitatem contineri.ⁿ⁾ Quousque enim territo-rium *urbis* proferebatur, eousque *urbs* munitionibus crescebat: cum, teste *LIVIO*^{o)} alia atque alia appetendo loca, urbem, non ad id, quod tum ho-minum erat, sed, in spem magis futurae multitudinis, muniret. Urbes igit-ur muris cinctae sunt; sed prout cuiusque populi facultates hoc ferebant, aut *lateritiis*, aut etiam *lapideis* subinde. In tam exiguis initiis, a quibus magnitudo *urbis* profecta est, Romulo satis fuit, urbem *opere lateritio* mu-nire. Sed Tarquinius, *muro lapideo*, Romam, qua nondum munita erat, cingere parabat: p) ut intelligatur, a prima reipublicae Romanae origine, ur-bein

V 2

^{k)} *ISIDOR. orig. XV. c. 2. p. m. 1191.* ^{l)} *OVID. fast. IV. v. 825.* ^{m)} *MA-NIL. astron. I. IV. v. 562.* ⁿ⁾ *LIV. I. I. c. 7.* ^{o)} *Id. I. I. c. 8.*
^{p)} *Id. I. I. c. 38.*



bem *moenia* desiderasse. Idem studium etiam reliquos, qui circa erant, populos tenuit. Docet enim MARCIANVS l. 8. f. 2. *D. de diuis. rer. ne quidem municipia omnino muris caruisse; sed ex auctoritate SABINI, & CASSII, muros etiam sanctos in municipiis fuisse.* Apertissime TULLIVS, praeter continentia *edificia*, in urbibus mœnia desiderauit. Domicia, q) inquit, *coniuncta*, quas *urbes* dicimus, inuenio diuino, & humano iure, mœnibus seplerunt. Itaque munitiones urbium propriae videntur. Neque tamen hoc te ignorare velim, ab *urbibus munitis*, & Romano, & Germanorum iure, *castella* & *fortalitia* sciungi: cum istae ad hostes aditu, & aedificiis continentibus, muris, & fossa, arcenos, castella vero, & fortalitia, non solum ad ciues in officio continendos, sed etiam, ad vim hostium & longinquo insiringendos, iterque in prouinciam in primis operibus, & machinationibus, defendendum, comparata esse videantur. De quibus deinceps copiosius a nobis exponetur.

§. V.

Legibus Romanis ius urbis munientis summa potestati tribuitur. Quanto magis igitur omnium intererat, *urbes muris*, & munitionibus, communis securitatis caussa, cingi, & firmari; tanto facilius multitudo, postquam in unius ciuitatis corpus coaluerat, & maiestas constituta erat, mœnibus, ad utilitatem publicam exstructis, contra ipsos principes viri, & intrahas munitiones, occasionem seditionum, & obsequii detrectandi, quaerere omnino poruisset: nisi illi, penes quos imperium erat, *publica* auctoritate, urbium munitiones, atque mœnia, rexissent. Itaque, cum nefas esset, in republica, quem tuam aliquid habere in potestate, quod ad frangendam imperantium auctoritatem pertineret, aut ad vim faciendam spectare videretur; consequens fuit, *ius muniendi urbes*, aut muros, fossasque, & turre, & propugnacula instituendi, ad summos *magistratus* duxaxat, illosque, qui summam rerum obtinent, in ciuitate, pertinere. Enimvero illa, quae *publice* utilia sunt, & non tam ad securitatem singulorum, quam omnium, atque ad ipsum reipublicae statum spectant, docente VELIANO, l. 1. f. 2. *D. de iust. Et iur. ad ius publicum*, & summorum magistratum in ciuitate potestatem, referuntur. Non obscure TULLIVS^{r)} illud tradidit, qui *urbes* inuenio demum *diuino* & *humano iure*, mœnibus septas esse affirmat; ut intelligatur, ius murorum, & mœniū, a maiestate imperantium pendere. Quae res apud illos, qui Romanis legibus vivuntur, nihil habet dubitationis: cum, illo iure, *muri*, non solum Romae, sed etiam in municipiis, *sancti & diuini iuris* haberentur: &, si quis illos violauerit, in illum pena capitii esset constituta. Ita enim SABINVS & CASSIVS, apud MARCIANVM, & POMPONIVS l. 8. f. 2. l. 4. & l. 9. f. 4. *D. de diu-*

q) CIC. orat. pro Sextio, c. 42;

r) CIC. orat. pro Sextio, c. 24, p. 668.



ver. tradiderunt. Sed, quæ diuinī iuris sunt, iure publico, quod auctore VLFPIANO l. 1 ff. 2. D. de iustit. & iur. in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus, consistebat, continentar, & reguntur ab illis, qui summum locum in republica obtinuerunt. Igitur vrbis primo a regibus munita, maxime a Romulo, qui urbem muris cinctus, & subinde mœnia amplificauit: ^{a)} deinde a TARQVINIO PRISCO exstructus murus lapideus ^{b)} postea a SERVIO TULLIO ^{c)} adiectis exquiliis, aggere, & fossis, & muro, vrbis circumdata, atque pomarium prolatum. Liberata a tyrannie republica, ad summos magistratus, ius proferendi pomarii, & munitionum, augendarum pertinuit: sed ne his quidem, teste TACITO, ^{d)} nisi etiam imperii Romani fines protulissent, terminos vrbis propagare permisum. Neque duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, ius illud usurpauerunt, praeter L. Sullam & D. Augustum. Vides quanta fuerit religio, munitiones vrbis attingendi. Postquam potestas ad unum peruenit, principes, sed raro, de amplificandis vrbis mœniis laborauerunt. CLAVDIVS certe post Augustum, auxit pomarium, more prisco, quo illis, qui protulere imperium, etiam terminos vrbis propagare datur. ^{e)} Neque enim principes, si VOPISCUS ^{f)} fides est, nisi parte agri barbarici rempublicam auxissent, proferendi pomarii iure uterantur.

In prouinciis imperatores, qui cum exercitu in illis versabantur, ius muniendi usurpabant, & ducebant muros, & castella muniebant. LVLIUS CAESAR enim, a Lacu Lemano, ad montem Iuram, intra Gallorum fines, cum legionibus murum, in altitudinem pedum sexdecim, fossam millia passuum decem nouem, perduxit, praefidia disposita, castella communivit, quo facilius hostes, si se invito transire conarentur, prohiberi posseant. ^{g)} Praeter imperatores exercituum, etiam consules, & reliqui magistratus, qui colonias deduxerunt, sedes, coloniis destinatas, auctoritate recipublicæ, muris munierunt. M. enim Antonius, teste TULLIO, ^{h)} coloniam deduxit, ut vexillum tolleret, ut aratum circumduceret, quo locus ædificiadorum mœnia designabatur. LYCANVS ⁱ⁾ etiam huius rei memoriam repetit, & vota concepit, ut

Sarmaticum premeret succinctus consul aratum.

Deinde principes maxime de munitionibus prouinciarum cognoverunt. GABBA enim imperator, docente TRANQUILLO, ^{j)} quasdam Hispaniarum, Galiarumque, ciuitates, quæ cunctantius ad ipsum accesserant, murorum destruptione punivit: quod gentes pleraque in argumentum criminandæ scutie traxerunt. Certe, si VLFPIANO l. 9. ff. 4. D. de diuis. ver. credimus, muros

V 3

MU-

^{s)} LIV. l. I. c. 8. OVIDI Fast. IV. v. 82. ^{a)} LIV. l. I. c. 38. ⁿ⁾ LIV. l. I. c. 44. TAC. annal. XII. c. 24. ^{x)} TACIT. loc. cit. c. 23. ^{y)} TACIT. loc. cit. c. 23. & 24. ^{z)} VOPISC. in Aureliano, circa fin. ^{a)} GAES. Bell. Gall. l. I. c. 8. ^{b)} CIC. Philipp. II. pag. 852. ^{c)} LYCAN. pharsal. l. VII. v. 430. ^{d)} SVETON. in Galba c. 12.



municipales neque reficere, neque aliquid eis coniungere, vel superponere licet, sine *principis*, vel præsidis auctoritate; si vero *muri* etiam noui *exstruantur*, **M O D E S T I N V S** l. 6. *D. de operib. publ.* ait, ne præsidem quidem hoc recte permittere, sed, ex rescripto Diui Marci, præsidem, aditum de operibus, quæ in muris, vel portis, vel rebus publicis fiant, aut, si muri exstruantur, *principem* consulere debere. **A R C A D I V S** certe, & *Honorius*, iudices, ordinesque ciuitatum, sex libris auri l. 13. *C. de operib. publ.* mulctarunt, si quis illorum in id temeritatis erumperet, vt, *inconsulto* omnino *principe*, noui aliquid operis in vrbe inchoare moliretur. Generatim enim, secundum **V L P I A N U M** l. 2. f. 16 *D.* Ne quid in loc. publ. a principe solet impetrari, vt quid in loco publico ædificetur. Opus certe nouum, quod, ad æmulationem alterius ciuitatis, ædificetur, aut *materiam seditionis præbeat*, ne priuato quidem sumptu, multo minus publico, facere licebat, sine *principis* auctoritate, quod **M A C E R**. l. 3. pr. & f. 1. *D. de oper. publ.* ait, constitutionibus principum declaratum esse. Qua lege, nemo non videt, etiam *exstructionem murorum*, & mœnum, & propugnaculorum, contineri: cum inter loci muniti opera, & speluncas latronum, nihil propemodum, præter publicam, qua vrbes muniantur, auctoritatem, intercedat; qua omessa, & neglecta, esset oportunum, moliri res nouas, & diuina atque humana omnia, conglutinationibus hominum, & coniunctione facinorosorum, perturbare. Quare dubitari non potest, muros, citra auctoritatem *principis* extortos, ad *seditionem* in republica spectare: ex quo apparet, ius vrbes munienti a *principe* duntaxat imperatum, neque omnino temere, sed magna cautione, ne ciuitates munitionibus aduersus principes ipsos vterentur, potentibus concessum. **T A C I T V S**^{e)} anaritiam temporum Claudianorum accusat, quod *ius munendi* a principe venditum Hierosolymitanis, qui muros in pace, tanquam ad bellum, exstruxerant. Sed ipse etiam **C L A V D I V S**, cum **Maximus**, **Syriæ præses**, significasset, Hierosolymitanos noui aliquid moliri, & nouam vrbum mœnibus munire, murosque ad magnam altitudinem perdincere, Agrippæ, teste **JOSEPHO**, vt a manienda vrbe desisteret, opusque institutum omittiteret, præcepit. Ex qua re intelligitur, totum hoc negotium in prouinciis potestati principis permisum, nihilque illas nationes juris proprii in muris habuisse. Imo, ne quidem pro consules, aut præsides prouinciarum, aut præfecti, inconsulto principe, de muris oppidorum cognoverunt, l. 6. *D. de op. publ.* cum illud negotium non tam ad utilitatem prouinciarum, quas illi regendas acceperant, quam ad securitatem, aut periculum, imperii Romani spectaret si vrbes munirentur; nisi res graues atque repentinae postularent, vt ius munitionis præfectis generaliter permitteretur. **I V S T I N I A N V S** quidem l. 2. f. 4. *C. de offic. præf. præt. afr.* edixit, vt præfecti prætorio Africæ, vrbes, quæ olim prope clausuras, & fines, a Romanis te-

e) **TACIT.** hist. V. c. 12.f) **JOSEPH.** antiqu. iudaic. l. XIX. c. 7. p. 677. lit. D.

tenebantur, festinent comprehendere, & diligentius munire: quandoquidem necessitates bellorum subitariæ, & ingruentum hostium vis, & minæ, non permettebant, vt de singulis vrbibus ad principem, in illa perturbatione rerum, re-ferretur.

Igitur non, nisi in magnis periculis, præsides prouinciarum vrbes, inconsulto imperatore, muniuerunt. Sed aliquem posset perturbare, quod *Arcadius & Honorius AA. l. 12. C. de op. publ. anno 396.* omnes prouinciarum rectores litteris admonuerunt, „vt sciант ordines, atque *incolas, urbium singulorum, muros vel nouos debere facere*, vel veteres firmius omnino instaurare, impendiis per iuga singula, non sterilia, cum cura ordinandis. „Enimuero videntur principes, hac lege, ius *muros nouos faciendi*, ordinibus, aut incolis *urbium singularum*, concessisse. Sed pignore certarem, quod illud imperatoribus in mentem non venerit. Id agunt, vt modus certior definitur, quo *sumptus ad muros reficiendos necessarii*, si hoc ius a principe imperatum fuerit, a ciuibus cogantur: & ait, ad ordinum & incolarum officium hoc pertinere, vt sumptus ab ipsis conferantur. Igitur tantum de modo, quo sumptus ad muros faciendo conferantur, non *de iure muniendi*, illa lege tractauerunt. Tantum enim abest, vt *Arcadius & Honorius*, ordinibus ciuitatum, & incolis, ius vrbes suo arbitrio, inconsulto principe, communiendi concederint, vt iidem potius *l. 9. C. de oper. publ.* biennio ante, rescriperint, a principe duntaxat *exstruendi* licentiam concedi, & *l. 13. C. eod. tit.* biennio post, temeritatem illorum, qui opus nouum, inconsulto principe, inchoauerint, sex libris auri coecendam esse, existimariant.

Discederem ab hoc loco, nisi alium scrupulum *Honorius & THEODOSIVS l. 10. C. de ædif. priu.* Iuris interpretibus inieccisse viderentur: „Per Mesopotamiam enim, & Odroenam, & alias complures, itemque per Helle-spondum, vbi magis hoc desideretur, & ceteras prouincias, cunctis volenti-bus permiserunt, fundos proprios, seu loca sui dominii, murali ambitu val-lare. „Visum est quibusdam, hac lege, prouincialibus omnino datam potestatem, muros, vteunque placherit, etiam venia non impetrata, exstruendi. Sed illis optime ZIEGLERVS g) se opposuit, & otium fecit interpretibus, ne in illa controuersia oleum perdatur. Enimuero nihil certius, quam *Honorium & THEODOSIVM* de prouinciis Orientis duntaxat rescripsisse, quas propter infamiam latronum, & periculum incursionis, conueniebat diligentius, & pro-pperantius, muniri. Sed hæc talia trahi in exemplum non debebant. Deinde, vt quis *fundos proprios* duntaxat, murali ambitu, vallaret, prouincialibus per-missum. Sed, cum hoc spectet ad domos *priuatorum*, a quibus principes non magnopere timebant, pessime interpretes nonnulli colegerunt, etiam *uniuersi-ta-*

g) ZIEGL. de iure maiest. l. I. c. 35 §. 6 sqq.



tatibus, quæ semper principiis suspectæ erant, ius *urbes integras*, muris & fossis muniendi, attributum

Igitur, ius *urbes* mœnibus, & operibus, cingendi, a principe impetrabatur: sed priuatis, qui, *castella* maxime, sine iussu principis, aedificarent, atque detinebant, ex *Honorii & Theodosii* rescripto, pena capitis, cum publicatione bonorum, imminebat. l. 2. C. de fundis *limitroph.* Impetrata vero *venia*, curatores *exstruendi* operis a ciuitate constituti: quæ *cura*, docente *Hermoniano*, atque *VLPIANO*, l. 4. Et l. 1. §. 2. D. de mun. munus *publicum* & personale erat, a quo quinque liberorum incolumium pater habebat excusationem.

§. VI.

Quorum auctoritate et sumptibus cum ad *muri urbis* reficiantur. Qua prouidentia Romani in *urbibus* instituendis, muniendisque, vñi sunt, eadem etiam *refectionem moenium* administrarunt. Et huius enim rei *cura*, magistratus, & deinde ad principes, spectabat. Videtur tamen laxior, *moenia reficiendi*, quam *exstruendi* muros, licentia fuisse. In libera republica, refectio mœnium, *urbis æternæ* in primis, subinde in comitiis decreta: quibus aliquando, rogante prætore urbano, *quinque viri muris, turribusque reficiendis*, teste *LIVIO* b) creati. Ex quo intelligitur, *refectionem* murorum, & turrium, ad publica negotia, & curam omnium, relatam. In provinciis *VLPIANVS* hoc officium *proconsuli* l. 7. §. 1. D. de offic. proc. quæ ex eius l. 2. de offic. pro C. deprompta est, imponit, vt opera publica circumeat, inspicendi gratia, an *sarta tectaque* sint, vel, an aliqua *refectione* indigeant: iubetque illum curare, si qua *cepta* sint, vt consummentur, prout vires eius reipublicae permittant: utque *curatores operum* solenniter *praeponat*. Igitur totum hoc negotium in provinciis a proconsule administrabatur, aut ab eo delegabatur aliis, quos operi curando pares fore iudicabat. *Curatoris sartorum tectorum operum* item *curatoris operum publicorum*, *Venusiae dati*, a D. *HADRIANO* k) & *curatoris operum Nolæ a VESPASIANO dati* l) lapides litterati apud *GRVTERVM* mentionem faciunt: vt intelligatur, totum hoc negotium a summa potestate in republica pendere. Meminit *curatorum operis reficiendi*, in ciuitate, *VLPIANVS* alio loco l. 4. pr. D. de mun. quorum munus *publicum esse*, & patrem quinque liberorum duntaxat ab illo excusari, supra fuit a nobis indicatum. Curatores igitur mœnium reficiendorum a proconsulibus ordinabantur. Sed hanc potestatem etiam *præfides* provinciarum cum proconsulibus communem habere, l. 9. §. 6. D. de offic. proc. testatur *VLPIANVS*: & l. 7. §. 2. & l. 8. D. evd. addit rationem, cur huius rei cura ad præ-

b) *LIV.* l. 25. c. 7. i) *GRVT.* inser. fol. 411. n. 1.
n. 5. l) *GRVT.* fol. 1092. n. 4.

k) *GRVT.* fol. 441.



praefides & proconsules spectaret. Cum enim plenissimam proconsul habeat iurisdictionem, omnium, ait, partes, qui Romae, vel quasi magistratus, vel extra ordinem, ius dicunt, ad ipsum pertinere, illumque imperium in prouincia, post principem, maius omnibus habere. Vnde intelligitur, huius rei procurandæ facultatem, non vulgaris officii, sed summi imperii partem suisse, & propter maximam, qua utebatur, potestatem, proconsuli tributam. Ne quis dubitet, aperte **VLPIANVS** l. 9. s. 4. **D. de diu. rer. muros,** inquit, etiam municipales, non licet reficere, sine principis, aut præsidis, auctoritate. Quæ prohibito in primis eo pertinuit, ne mutetur forma pristini operis, inconsulto principe, aut coniungatur aliquid mœnibus, aut superponatur muris. **l. 9. s. 4. D. de diu. rer.** aut munitiones amplientur, quod **Claudius Agrippæ** interdixit,^{m)} aut etiam contrahatur in angustum murorum magnitudo. Ideoque, cum hæc omnia ad prouinciarum utilitatem publicam spectarent, non recte videbantur a magistratibus oppidorum, & ordinibus, sed ab illis duntaxat, qui administrationem reipublicæ, & prouinciarum obtinuerant, decerni posse. Hæc enim talia **IVSTINIANVS** Belisario magistro militum per Orientem l. 2. s. 14. **C. de offic. præf. præt. Afric.** imposuit: & iam antea **GRATIAN. VALENT. & THEOD. AA.** l. 6. **C. de oper. publ.** ne præscriptionem quidem temporis iuri publico obliſſere omnino poffe, rescriperunt: ideoque diruenda eſſe omnia, quæ per diuersas *urbes*, in *publico* quocunq; loco, contra ornatum & comodum, & decus reipublicæ, & imperii Romani utilitatem, exstructa videantur.

In primis igitur *mutatio pristini operis*, obtentu *refectionis* suscepta, ab imperatoribus prohibebatur. Sed si nihil discederetur a forma pristina munitionis, videtur magistratibus in municipiis attributa potestas liberior reficiendi. **VALENTIANVS** enim & **VALENS** l. 5. **C. de op. publ.** licentiam instaurandi opera, quæ iam deformibus ruinis intercidisse dicerentur, *vniuersis* concesserunt, quod & **LEO A.** l. 22. **C. de op. publ.** speciatim *iudicibus* permisit: vtque, quæ a decessoribus incepta, aut vetustate diruta, aut desidia derelicta, inueniant, diligent studio ab ipsis compleantur, & iudices ex eo argumentum laudis querant, si ea, quæ vetusta sint, & instaurationem requirant, perfecerint, præcepit.

Igitur muros, seruata pristini operis, vetustate collapsi, forma, *reficere* magistratibus licebat. Sed quorum sumptibus hæc procurentur, videamus. Si naturam audias, nihil æquitati, & communioni, qua inter nos coniungimur, conuenientius, quam, quod propter vniuersorum securitatem, & comoda, suscipitur, studio & sumptu etiam *communi omnium*, administrari: cui præcepto

^{m)} **JOSEPH.** antiq. iudaie, l. XIX. c. 7. p. 677.



pto obtemperauit GRATIANVS cum collegis, atque ad portus, & murorum instauracionem, certatim omnes, facta operarum collatione, conuenire iussit, noluitque quenquam ab illo consortio, obtenui priuilegiū, aut dignitatis, excusari. *I. 7. C. de op. publ.* TIBERIVS quidem *Noit. 161. c. 2.* pecunia publica, ait, munitiones conferuari: & hoc titulo, tributorum etiam prestationes ciuibus commendat, quod ex illis muri, & urbes, reparantur, & omnia prouenant, que ad publicam utilitatem spectare videantur. ARCADEVS & HONORIVS *I. 2. C. de op. publ.* ne splendidissimae urbes, & oppida, vetustate collabantur, de redditibus fundorum iuris reipublicæ tertiam partem reparacioni publicorum moenium, thermarumque, destinavit.

DIVVS PIUS certe, pia prouidentia, testē CALISTRATO *I. 7. D. de oper. publ.* usus est, quod ciuitatibus, etiam indigentibus, prospexit, ne facile careant munitione. Pecuniam enim, que in opera noua legata est, potius in tutelam eorum operum, que iam exstructa sunt, conuertendam, quam ad inchoandum opus nouum, erogandam esse, rescripsit: maxime, si satis operum ciuitas habeat, & non facile, ad ea reficienda, pecunia inueniatur. LEO A. *I. 3. C. de vendend. rer. ciuit.* illud latius porrexit, & non solum pecunias, legatas ciuitati, in refectionem murorum impendi passus est; sed domus etiam, & fundos, qui quocunque titulo ad ciuitates peruererint, Romæ quidem principis auctoritate, in prouineiis ordinum consensu, & prouinciali iudicio, venundari permisit, ut ex pretio redacto sumptus suppeditent, quibus publica urbitum minnia reficiantur.

Illud meretur observari, quod HONORIVS & THEODOSIVS *I. 18. C. de op. publ.* interdum priuatos quosdam duntaxat, impensam, in moenium & operum refectionem, facere, &c., quod publice vtile saturum est, cum detimento compendii priuati, solos procurare, voluerunt. „*Turres muri noui,* „qui publice securitatis causa per fundos priuatorum ducebatur, dominis possessionum, quas mirus attingebat, vt tendas tradiderunt: sed instauracionem etiam illarum, & refectionis curam, iisdem commiserunt, & ipsos hunc sumptum facere voluerunt, ut splendor operis, & ciuitatis munitio, cum priuatum usu, & utilitate, conseruetur.“

Igitur usumfructum manuum, priuatis, per quorum fundos illa ducebantur, reliquum esse, sed pro usumfructu, possessoribus fundorum onus refectionis impositam, videmus. Ex quo apparet, muros vel collatione operarum, & sumptuum, vel publica pecunia, vel impensa priuatorum, per quorum fundos muri transiunt, reficiendos. Et haec quidem constituta sunt *Romanæ reipublicæ praceptis.*

§. VII.

Ius reficiendi munitiones attinet, nihil fere Germanorum legibus publicis constitutum inueniō, quod cum legibus Romanis, quas ipsa in hoc articulo

argumento aequitas commendat, non consipare videatur. *Magistratibus, nis ex legi quibus concessum est, vt urbes ad certum modum munitant, videtur etiam ius bus Germania reficiendi attributum: cum inutilis sit omnis munitio, nisi integra ser. nia & no. uetur, vel collapsa etiam restituatur. Igitur, iure muniendi dato, ius mœnia reficiendi continetur. Sed, si in instaurazione mœnium formam pristini operis excedant, peccare credo magistratis, nisi illo consulto, a quo ius urbem muniendi impetraruat. Ipsa enim amplificatio operum noua esse munitio videtur, quae magistratibus non competit, nisi a principe, qui summam potestatem habet, concedatur.* De quo argumento deinceps exponemus.

Imo vero etiam tunc, eum mœnia urbi, auctoritate imperatoris, aut principis, dejecta sunt, ius mœnia restituendi, denuo impetrandum est ab illo, a cuius potestate ius extingendi mœnia dependet, & eius cum venia, cuius ius in destructa sunt, reficienda. Clare rem Saxones definierunt. 3. L. R. 66. Man mag auch keine Bürck wiederumb bauen ohne des Richters Urlaub, die umb Gerichts willen mit Urtheilen zerbrochen ist: Bricht man aber eine Bürck williglich abe, oder lässt sie der Herr zergehen, von eignem Willen, oder von Armut, die magg man wohl wieder bauen, ohne des Richters Ur- laub. Enim uero hoc est, eludere potestatem imperantis, si mœnia, ab ipso detraicta, eius iniussu, a magistratibus restituantur. Illud aliquando b y c h. HORNIÆ, nobili Germaniae urbi, ad Lacum Bodanicum, a Gustavo Hor- nio, praefecto exercitus Suecici, munitæ, accidit, vt, postquam imperatori red- dita esset, destructis mœnibus, vallo, turribus, portis, omnibus operibus, nu- da & aperta destitueretur, ne hostes in illa suffugium, & portum, inuenirent. Sed, quandoquidem nulla sua culpa illud detrimentum passa erat, impetravit, vt munitiones ipsi restituere, muros, portas, opera destructa, reficere liceret. Extat apud LVNIGIVMⁿ⁾ tabula Ferdinandi, qua d. 15. Ianuarii, anno 1644, magistratui refectionis potestatem fecit: „Wie nun berührte Demolition und „Zerstörung der Stadt Buchhorn wegen des gemeinen Wesens hoher „Höchtdursts, auch Versicherung mehr ermehrtes Boden-Sees, und andern „überzehlten Ursachen halber vorgenommen werden müssen; Also erklären „Wir uns hiermit Kraft dieses unsers Kaiserlichen offenen Briffes, daß „mehr oft gesagten Bürgermeisteru, Rath und ganzen Bürgerschafft, wie „auch dero selben Successoren und Nachkommen der Stadt Buchhorn, solche „Demolition der niedrigerissenen und geschleifsten Stadt-Mauern, Thüre und „Thoren, ohne einigen Praejudiz oder Schmälerung ihrer Regalien, Privile- „giien, Immunitaeten, Stadt-Rechten, Jurisdiction und Gerechtigkeiten, seyn, „auch solche, zu verhoffendem allgemeinen Frieden, wohl wieder außer- „bauen, die Stadt mit Thoren beschließen, wieder neue Stadte-Gräben auf- „werffen, auch so gut sie können, und ihnen möglich, mit allen andern darzu „ge-

X 2

ⁿ⁾ LVNIG. Reichs-Archiv, part. spec. cont. IV. p. 334, n. 27. 1644.



, gehörigen Requisiten verwahren, und sich ihrer alten Freyheiten und Gnaden, wie vorhin, geruhiglich bedienen sollen und mögen, ohne Aßmänniglich's Eintrag, Verhinderung oder Einredt re. „ Igitur, operibus auctoritate publica destructis, *imperandum* videtur ius reficiendi. Eodem iure vtimur, si ipsa intenſia, iniussu imperantium, exstructa: tunc enim etiam refectio iniusta videtur. *Hale* quidem, inter Sueos, Maximilianus I. anno 1503. illud, beneficii loco, tribuit, vt turres, atque opera, reficere licet &c. und ihnen diese besonder Gnade und Freyheit gegeben haben, die Sie ihre Land-Gräben, Heege, und Geschlege, mit samt denen Land-Thürmen in Besserung, Bau und Wesen, sollen und mögen halten, wie sie des je zu Zeiten ihu und gut Ausehen re. Ceteroquin *libera* refectio: quam potentissimus *A V G U S T U S* noster, haud ita pridem, edicto, supra a nobis excitato, *magistris*, den Deäthen in halebaren Städten, non solum permisit, sed etiam ininxit.

Sed, vt de *sumptibus* dispiciamus, illi quidem, qui ad reficienda *castella*, & *fortalitia* necessarii, cum hæc ad prouincie vniuersæ securitatem excitata sint, a statibus prouincialibus, nemine subducto, conferuntur: ita enim augustissimus imperator Carolus VI. in capitulatione nouissima, cum principibus electoribus, art. XV. padus est: o) Wir wollen nicht gut heisen, noch zugeben re. daß die Landes-Stände re. wider des stüngsten Reichs-Abschiedes ausdrückliche Verordnung, sich des Vertrags, womit jedes Chur-Fürsten, Fürsten, und Standes, Land-Sassen und Unterthanen, zu Besetzung und Erhaltung derer, einen und andern Reichs-Stände zugehörigen, nöthigen Vestungen, Plätze, und Garnisonen re: an die Hand zu gehen schuldig sind, zur Ungebühr entschlagen re. Ex quo loco etiam apparet, statibus imperii, absque dubitatione, ius reficiendi castella, & fortalitia, concessum.

Reliquarum urbium munitiones, ad cuiusque ciuitatis securitatem singularem in primis, excitantur. Itaque nihil æquius, quam ut magistratus urbium æquitati, Romanis legibus expressæ, obtemperent, & muros, propter ciuitatis utilitatem institutos, *sumptibus* ciuitatis etiam reficiant, &, si opus sit, initauent. Igitur, aut ex communibus vniuersitatis redditibus, aut facta collatione singulorum ciuium, sumptus reficiendorum mœnium coguntur. Sed, si magistratu*ius*, libere de publicis redditibus disponendi, non competit, apparet, de illa re ad principem referendum esse, priusquam ad refectionem sumptus deponentur.

Si muri municipales per priuatorum fundos transcant, & priuati etiam ex illis locis fructum aliquem capiant, atque ædiunt, quas possident, pars postea ipsis mœnibus urbis, ab incursione furum, & latronum, defendatur; nihil inuisus *Honorii* & *Theodosii* constitutione, supra a nobis ex. l. 18. C. de op. publ.

o) *L V N I G.* loc. cit. p. 913.



publ. recitata, qua priuati, quorum fundos mœnia attingunt, munitiones instaurare suis sumptibus intentantur. Videtur enim hoc quasi officium quoddam naturale, ex iure publico vniuersali, ciuibus imponi. Alioquin ad magistratus spectat procuratio munitionum. Haud ita pridem eiusmodi species ordinis ICTORUM in hac academia oblata est. Accusabatur a magistratu urbis cuiusdam, cuius mœnia sublapsa erant, ciuis aliquis, quod parietem, sive commoditatis, & securitatis caussa, constitutum, propter aliam utilitatem diruerit: quo pariete sublato, hiatus & ruina mœnium, in illa parte, quæ rei ædes spectabat, plus periculi habere videbatur, magisque in oculos prætereuntium incurrebat. Syndici senatus auxilium legis 18. C. de op. publ. inuocabant, vi ciuius, muri sumtu illorum ciuium, quorum fundos muri attingebant, refici deberent. Sed reus parietem, quem sustulerat, tribus pedibus a mœnibus distare, murumque, qui urbem muniebat, fundum suum non attingere, probabat. Igitur visum est, ad magistratum refectionis officium spectare. Mense enim Martio, anno 1732. in causa syndicorum senatus C. contra I. G. K. pronunciatum: Dass Klägers Suchen nicht statt hat, V. R. W. adiectis, inter alias, his rationibus: All die weilen bey der Besichtigung sich befunden, daß die von Befln. eingerissene Schal-Wand, auf dem Stadt-Mauer Grunde nicht, sondern hinein in Befltens Hoff ein und $\frac{1}{2}$ Elle von dem Mauer Grunde abgestanden, hiernech durch die Begnehmung solcher Wand, weder die Stadt, noch deren bereits vorher eingefallene Mauren, sondern nur Befltens Hoff, eröffnet worden, dagegen die Stadt-Mauren von dem Rath und der Bürgerschafft, nicht aber von Befltem alleine, in baulichem Wesen zu erhalten sc.

So ist, wie im Urthel enthalten, von Uns billig erkannt. Hoc iure in refectione urbium vtimur.

§. VIII.

Igitur ius reficiendi urbium munitiones, dubitari non potest, quin iure: *Quis hodie urbes muniendi, & extruendi mœnia, contineatur.* Sed quorum auspiciis in Germania olim in *Germania ipsi urbium muri excitari*, valloque & mœnibus, firmari potuerint, perplexa disputatio videtur, & difficultatibus multis impedita, quas ut soluerent, *HERMANNVS CONRINGIVS p) & CHRISTIANVS THOMASIVS q)* virtù clarissimi, operam dederunt. Sed, ne obscuritate remotissimorum temporum perturbemur, visum est, a nouis illis, quæ omnium memoria repeti possunt, quoramque conditio ex certissimis rerum documentis cognoscitur, ordiri: & ex Germaniae institutis, quæ sanctissima pace Osnabrugensi, aliisque inter imperatorem, & status imperiis, conuentionibus æternis, consti-

X 3:

tuta

p) CONRING. de urbib. Gerin. exer. acad. III. ciuitatis.

q) THOMAS. de iure dandæ



tata sunt, rem definire, donec ad illa vetera perueniamus, quæ & minus volaueris, & utilitatis partum, videntur praebitura. Augustissimus quidem *imperator*, cuius olim in hac causa laxior potestas, iure *munita noua*, intra statuum ditiones, nomine publico, instituendi, aut vetera praesidiis firmandi, nisi illud *romitali*, liberoque omnium imperii statuum suffragio, & consentu, utile & necessarium esse videatur, art. VIII. §. 2. instrum. *pacis Osnabrugensis*, sese abdicauit. Apertius etiam capitulationis nouissimæ art. 4. §. Jedoch soilen und wessen wir, cum principibus electoribus pactus est, se, ne tempore belli quidem, & in summis necessitatibus, tale quidquam moliturum esse, neque vetera, atque collapsa, munita *refecturum*, multo minus aliis, vt hoc faciant, permisurum esse; sed *statibus imperii*, qui *territorii iure* vtantur, & quibus solis imperii leges hoc concedant, huius rei arbitrium, & potestatem, relicturum. In der Chur. Fürsten, Fürsten und Stände Landen, und Gebietz, keine Vestungen von neuen anlegen, oder bauen, noch auch zerfallene, oder alte, wiederum erneuern, vielweniger andern solches verfatten, oder zulassen; immassen dieses allein die Landes-Herrn, nach denen Reichs-Caugungen, in ihren Territorii zu thun befugt, und berechtiget seyn.

Itaque soli duntaxat illi, qui *imperii*, id est *superioritatis territorialis*, quam appellant, *iuribus* terras, atque provincias regunt, munita noua exstruant, collapsa restitunnt, aut aliis, vt intra terras suas illud faciant, concedunt. Qua facultate, si quid video, etiam potestas *destruendi munita*, & muros urbium, quæ territorio suo continentur, dejiciendi, si nemini hac re *inuria* fiat, continetur. Enimvero, cum totum hoc negotium a iure belli & pacis, quod *statibus*, art. VIII. §. *gaudeant. inst. P. O.* tributum est, pendeat, illique conueniat, vt aliquando etiam *mcenia*, quæ ob aliquam utilitatem constituta sunt, mutata temporum, & rerum ratione, emertantur; consequens est, status imperii etiam iure *moenia deuiciendi*, intra suum territorium, vi posse, si nec *imperatori*, & *imperio*, inde aliquid incommodi accidat, nec publica pax Germaniae exinde perturbetur. Hæc enim conditio omnibus statuum imperii *iuribus*, dicto art. VIII. *Inst. P. O.* §. 2. adscripta est, vt ne *imperatori*, & *imperio* noceat, quod a *statibus*, vi summae potestatis, suscipiatur. Illud expeditum est, eadem lege, quae augustissimum imperatorem, vt ne munitiones intra territoria statuum *instituat*, prohibet, illum pariter, ne & munita illorum *vastet*, aut perturbet, aut *deuiciat*, repellit: cum haec iura inter se conexa, atque complicata esse, dubitari non possit. Enimvero, etiam ante pacem Westphalicam ea fuit imperatoris moderatio, vt cum Buchhorniae, ciuitatis imperii, munitiones ab imperatoriis, inter belli tumultus, *deiectae*, & *vastatae* essent, datis litteris reuersalibus, hoc ipsorum *iuribus* detimento non futurum, significaret, atque reficiendi *mcenia* ipsis potestatem faceret, & sumptus faciendi

ne-

necessitatem, remissis praestationibus, leuaret: quod supra, ex tabulis Ferdinandi, a nobis fuit obseruatum.

§. IX.

Igitur status imperii hodie prouincias *munitionibus*, & praesidiis firmare, *Vtrum bꝫ-*
& securitati suae prospicere, non prohibentur. Sed, vt circa fines territorii, *die conven-*
iuinitis illis, qui proximum territorium obtinent, hoc ipsis liceat, *GAIUS* ^{r)} *sus illorum*
& *ALBERICVS GENTILIS* ^{s)} timuerunt: cum quibus video *ZIEGLER* ^{r)} *desideretur*
RVM ^{t)} lites, non sine spe victoriae, exercuisse. *GENTILIS* quidem ait, mu- *qui proxime*
nitiones, circa fines institutas, ad *aemulationem* principis, qui proximum terri- *accolunt.*
torium obtineat, excitatas videri, ideoque *MACRO* obtemperat, qui *I. 3. D.*
de op. publ. negat priuato licere, opus nouum facere, quod ad *aemulationem*
alterius ciuitatis pertinere videatur: illaque lege credit etiam principes teneri.
Enimvero, ineptum esset, auxilium legum Romanarum inuocare, in cognoscen-
dis caussis publicis, quae iure gentium definiuntur; nisi illas ipsa vox naturae,
& lex ipsius aequitatis, defenderet, quae non patitur, *ad aemulationem* alio-
rum noua opera aedificari. *Ad aemulationem* enim opus facere videtur, qui
illud aedificat, quod sibi parum proficiat, & coniunctum sit cum maiori incom-
modo, & periculo, ant certe metu, illorum, qui ipsum proxime attingunt:
quod quenquam audere, naturalis ratio omnino non permittit. Sed quis de-
finiat, *vtrum*, qui intra suos fines loca idonea communis, opus ad *aemulationem*
fecisse videatur: his eiusmodi argumentis si quis vtetur, lites ex libris nascen-
tur. Obscurae sunt plerumque principum utilitates, quarum rationem vt expo-
nunt, aequales ab aequalibus poscere non possunt. Nec tuto quis affirmare
possit, *ex munitionibus*, quas alter intra suos fines excitavit, plus ad nos peri-
culi, quam ad ipsum utilitatis peruenire. Reclius, & naturae conuentius,
ULPIANVS *I. 26. D. de damn. infect.* & *POMPONIVS* *I. 21. D. de aqua,*
& *aqua. pluv. arc.* docuerunt, non videri illum alteri iniuriam fecisse, qui, iure
suo usus, & in suo subsistens, utilitati, sibi procuranda, operam dedit,
quamvis alter aliquod incommodum exinde sentiat. Igitur, ex sola locorum
circa fines munitione, non habet alter, quod timeat, aut dicat, se in periculum
adduci: nisi ex ipsis, quae circumstant, & aliis omnino caussis, intelligatur, al-
terum in ipsum aliquid endere, & ipsi periculum moliri. Cuiusmodi suspicio-
nes videntur oriri, si iam aliae lites graviores inter finitos exerceantur, aut,
si quis munitiones in immensum augeat, parum sibi profuturas, nisi vt alteri
impunitere possit, resque finitimum perturbare. Tunc enim, *ZIEGLERVS*
etiam, permittit, vt cantio, siue stipulatio, de non laedendo, modeste exiga-
tur. Quae si negata fuerit, tunc damnum enasci videretur iusta caussa conque-
ren-

r) *GAIUS* 2. obs. eam. 69. n. 18 sqq. s) *ALBER. GEN. de iur. bell.* I. III. c. 25.

t) *ZIEGLER. ius maiest.* I. L c. 35. §. II. sqq. p. 638.



rendi. Sed plerumque haec querelae inanes sunt, cum semper utilitatis aliquius obtentus suppetat, quo urbi, & castellarum, etiam in finibus, munitione defendi possit. Certe, cum de pace Osnabrugensi tractaretur, & Magdeburgenses ius munitiones proferendi, ex priuilegio Otropis I. & Ferdinandi II. postularent, serenissimi principis electoris Saxonici legatus d. 21. Martii anno 1648. potestatus est, & postulauit, ut hoc illi ciuitati demum in casu necessitatis, &, si pax aliter haberi non posset, concedatur. Quae controv ersia singularibus rationibus, & hac in primis, quod suburbia, cum serenissimi administratoris incommodo, hac munitione diminuerentur, aliisque argumentis, nixa est, quae ex tabula protestationis ^{u)} cognoscuntur, & ipso, deinde instrumento pacis art. XI. §. 8. definita.

Illud disputationi locum non facit, *principes*, & *status*, qui cum finitimis, ne, intra certos fines, castella, aut opera, & munitiones siant, pacti sunt, facultate muniendi prohiberi. Extant apud ^{x)} LVNIGIUM ^{x)} tabulae pactiorum, qua IOANNES, & HENRICVS, duces Megalopolitani, cum ciuitate Lubencensi conuenerunt, ne castellum Darßouense restituatur, neve in confinio eius, usque ad oppidum Grewermole, unquam ab ipsis, aut heredibus suis, aliqua munitio, aut castellum extruatur, aut, si quis alius id moliretur, ipsi illud, iunctis viribus, prohibeant, & consilium illud omni humana ope interueniant. Occurrunt eiusmodi pacta alia sexuenta, quae non attinet commemorare: quorumque fides, inter illos, qui eam dederunt, etiam hodie custodienda. Idem fere iuris est, si quibusdam, cum consensu statuum, ab imperatore priuilegium tributum est, ut ne intra quaedam milia aliae munitiones extruantur. Tunc enim ex pacto, & consensu, obligati sunt, ne, contra fidem datam, intra illos fines, aliquid munitionis moliantur. Sed de huiusmodi priuilegiis deinceps exponemus.

§. X.

An ius ur- Hodie igitur status imperii, qui supremam in territorio potestatem ob-
bes munien- tinent, nisi pacta & conuentiones, aut imperii leges singulares obstant, etiam
di olim per- reseruata ad circa fines suos, urbes & oppida munire non omnino prohibentur.
tinuerit Sed quo iure in munitione urbi olim usit Germania, video, non inter
recepit omnes conuenire. Multi imperatoribus Romanis illud tribuunt: aliqui, &
imperatoris. THOMASIVS in primis, statuum hac in re auctoritatem praedicandam suscep-
per- erunt, &, iniussu imperatoris, ipsoque etiam inuito, urbes ab ipsis esse
recepit munitas, censuerunt; utriusque exemplis, multisque argumentis, sententiam
recepit defendunt. Sed, quandoquidem iam quidem non interest, a qua origine
recepit profectum sit ius urbes muniendi, aut, quo tempore principes illo uti ce-
recepit pe

^{u)} LVNIG. Reichs-Archiv. P. II. spec. contin. IV. p. 2. app. p. 667.

^{x)} LV-

NIG. Reichs-Archiv. part. spec. cont. IV. p. 1333.



perint, sed hoc statibus satis esse possit, quod sanctissimis imperii legibus ius exstruendi munitiones ipsis sit tributum; dicam libere, quid sentiam, &, quid **THOMASII** argumentis opponi possit, indicabo.

Nimirum, quod ad exempla attinet, quae vir clarissimus *s. 43. differentiationis singularis, de iure dandæ ciuitatis*, adduxit; illis omnino nihil conficitur. Enim uero, ex eo, quod quidam principes iura urbium confirmauerunt, falso coniicitur, urbes illas, vel ignorante, vel inuitio, imperatore, constitutas. Principes quidem multis rebus, maxime, quae in ipsorum prouinciis susceptae sunt, auctoritatem suam accommodauerunt, quae imperatoris iussu, atque voluntate aut certe consensu, nitebantur. **ADOLPHVS**, comes Holsatiæ, *Hamburgenses* anno 1190. hoc primitio ornauit, ut ne castellum, prope illorum ciuitatem, intra duo millaria, ædificetur: ¹⁾ sed extat apud **LVNIGIVM** ²⁾ ipsius *Friderici I.* tabula, qua ciubus, anno præcedenti, illius rei dedit facultatem. Sunt eiusmodi alia innumera exempla, quae nec conquirere, operæ pretium est, nec commemorare: ex quibus intelligitur, multa a *statibus* constituta esse, quae, si veram originem exquiras, ab ipsis imperatoribus Romanis sunt profecta. Igitur his exemplis, quae nobis obiecit **THOMASIVS**, non probauit, olim ipsos *status* imperii, excluso imperatore, urbes exstruxisse. Taceo illis constitutionibus, quas ipse adduxit, *ius moenium* non contineri, de quo in primis disputamus.

Hæc dum scribo, occurrit mihi aliud exemplum quod opportunius, atque ad potestatem statuum, ab antiquis temporibus deriuandam, accommodatius videtur. Enim uero **LVNIGIVS** ³⁾ exhibet tabulam **VLRICI** a Trichtlingen, qua ciuitati *Voerdenſi*, quam pignoris iure possidebat, anno 1383. potestatem, suburbia inueniendis comprehendendi, concedit, illudque *exemplo omnium* fere, qui urbes eo tempore possederint, fieri testatur. Dass sie ihre Vor-Stadt innerhalb der Stadt-Mauer sezen, und bauen, als sich iezo alle andere Städte der Herren, und des Reichs, versehen und besorgen. Sed ipsa hæc verba ostendunt, hæc talia temporibus turbidis, inter strepitum armorum, & belli, accidisse: ex quibus, quid *iure factum* sit, intelligi non potest. Præterea ipse etiam **VLRICIVS** huius rei facultatem urbi ab imperio datam ait: Wenn sie desß gut Urkund, und Brieff von dem **Römischen Reich** haben, vt intelligatur, non suo illud Vlricum arbitrio fecisse.

Quod **THOMASIVS** porro ad *præscriptionis* iura prouocat, debuisset cogitare, quod, si etiam largiamur, quosdam status, ante pacem Westphalicam, hoc iure, ultra hominum memoriam, usos fuisse, hoc ipsis duntaxat, qui hoc ius

¹⁾ **LVNIG.** Reichs-Archiv. P. spec. cont. IV. p. 921. n. 2. ²⁾ **LVNIG.** l. c.
n. 1. ³⁾ **LVNIG.** ibid. p. 408.



ius usurpauerint, non vero generatim omnibus statibus imperii Romani, profuisse. *Rotenburgenſes* anno 1507. ad ius munitionum, *præscriptione immemoriali* adquisitum, prouocabant, sed tamen hoc se tutos fore non credebant, atque a *Maximiliano*, vt iura illa sibi confirmaret, postulabant.^{b)} Satis enim *imperatores* prospexerunt, antiquioribus etiam temporibus, ne haec iura promiscue a statibus usurparentur. *WEHNERVS* in *obſeru. præf. v. Stadt. Recht*, adducit *Maximiliani I.* literas, quibus *ALBERTO*, comiti *Mansfeldio*, ne vico cuidam iura vrbis concederet, interdixit: certo arguento; ne tum quidem imperatores immemores suorum iurium fuissent. Præterea ipsi status imperii, vrbiumque possessores, ſæpe agnouerunt, ius munitionum ab imperatore, aut imperio, profectum. Non ſolum tabula *VLRICI* anno 1388. conſcripta, & ſupra a nobis adducta, testatur, *Voerdæ* iura ciuitatis, ab imperio tributa, illudque non fuiffe eius potestatis; ſed ante illa tempora etiam *ADOLPHVS* dux *Holſatiæ*, anno 1190. professus est, ius muniendi Hamburgensibus, non a ſe duntaxat, ſed etiam a domino ſuo, *FRIDERICO Romanorum imperatore*, tributum eſſe. Quis igitur locus præscriptioni, cum toties ipsi status imperii ius imperatoris agnouerint, & potestatem vrbes muniendi ab ipſo impetrarint. *LVNIGIVS* enim vix iusto volumine minimam partem illorum, qui ius mœnia aedificandi, aut amplificandi, ab ipſo imperatore impetrarunt, comprehendere potuit: vt non necesse sit, illud exemplis comprobare. Sed ſi haec omnia taceamus, ipſa natura vrbium, & cauſæ, propter quas institutæ ſunt, ostendunt, antiquissimis temporibus, vrbes, sine imperatoris confenſu, non commode institui, aut conſeruari potuiffere.

§. XI.

Iura ciuitatum ab imperatoribus profecta. Non inquiram, quo tempore Germani in vrbes coierint, murisque, & mœniibus, firmauerint ſecuritatem. Illud *CONRINGIVS*, de *vrbibus Germanicis*, &, post illum, plures, occuparunt. Hoc expeditum eſt, *HENRICUM AVGVSTEM*, Ancum Martium Germanorum, quo nomine Petrus a *WITTEKINDVS* d) illum appellauit, ſolertia cura vrbes condidiffe. Testis *WITTEKINDVS* d) qui illum iuſſiffe ait, vt *concilia, & omnes conuentus*, (collegia in primis) atque *coniuicia in vrbibus celebrarentur*: in quibus exſtruendis diu, noctuque, operam dederit. Deprehendi nuper eius rei vestigia, in tabula, ſuperiori ſeculo, anno 1604. a *Christiano II.* principe electore *Saxonie*, promulgata, qua nobilibus ius cōueniendi *Dælitium*, ad ſolennem, atque annuerſariam saltationem, ultra hominum memoriam, quotannis ibi repetitam, einen jüchtigen Adelichen Tanz in der Stadt Dalitsch jährlich auf Petri und Pauli zu halten, confirmauit. Ex qua re, & pluribus aliis argumentis, cognoscitur, *WIT-*

b) *LVNIG.* P. ſpec. cont. IV. p. 2. p. 346. c) *LVNIG.* Reichs-Archiv. P. ſpec. cont. IV. p. 921. n. 2. d) *WITTEKIND.* I. I. p. 639.



WITTEKINDVM vera tradidisse. Igitur conuiua in vrbibus instituebantur: sed audiamus CONRADVM BOTHONEM, in Chron. Brunsvicensi, quem Petrus a LVDEWIG^{e)} adducit, qui Henricum etiam constituisse ait, vt nullæ mundinae, & tabernae, vendendi, emendique causa, extra vrbes haberentur. Præterea BOLCO dux Silesiæ, in tabula, quia anno 1337. Friburgum ciuitatis iure donauit, huic vrbi, ex more antiquo Franconiae & Teutonicali, ius alendi mercatores, & prohibendi opifices, intra milliare, circumferentialiter, concessit.^{f)} Ex quo more ius illud prohibendi, intra milliare, das Meilen-Recht, quo hodie etiam utimur, enatum. Vides igitur, moribus Teutonicis hoc conuenisse, vt vrbes iure prohibendi intra milliare vterentur.

Vt in hoc uno subsistamus, quis non videt, frustra, antiquis temporibus, status imperii vrbibus suis, maxime circa fines, ius prohibendi opifices, ne intra milliare circa vrbem circumferentialiter subsistant, fuisse tributuros; cum illorum nulla extra territorium potestas, & ipsum territorium singulorum statuum angustis olim limitibus definiretur. Taceo, quod *iura opificum* non tam a singulis statibus, sed sub initia vrbium, ab imperatore, & imperio, in comitiis inprimis, regerentur. Quod illustris Petrus a LVDEWIG^{g)} commen-tatione singulari exposuit, & ex R. I. etiam recentioribus, vt Aug. d. A. 1530. tit. 39 §. 1. A. 1548. tit. 36. 37. A. 1551. §. 83. 84. Spir. 1570. §. 2. ord. polit. Francof. 1577. tit. 15. & R. I. Ratisb. 1594. §. 123. aliisque compluribus, intelligitur: vt dubitari non possit, vrbes, quæ *opificum* alendorum causa in primis constituebantur, ab ipso imperatore, aut imperio, magis, quam a singulis statibus, iura sua, atque priuilegia, impetravisse.

Accedit ad illa, quæ adhuc disputata sunt, *ius prohibendi*, ne intra certa millaria, vrbes, castella, & munitiones, constituerentur: quod plerisque vrbibus tributum, loquuntur innumeræ exempla:^{h)} quodque *Saxonum* etiam consuetudo comprobat, quæ vrbibus cauet, ne aliæ omnino intra milliaris Germanici spatium ædificantur. III. R. a. 66. Frustra de his iuribus status singulares laborassent, nisi cum imperatoris, & subinde etiam statuum imperii, consensu. Ausim enim affirmare, ne finitimarum procerum quidem, cum illi sensim potentia crescerent, negligendam fuisse voluntatem, & consensum; cum ne cui ius prohibendi, cum ipsorum incommodo coniunctum, ipsis inuitis, concederetur, ratio æqualitatis, inter status imperii, permittere non videatur. Nec res caret exemplo, SIGISMUNDVS anno 1436. Nordhusæ e consilio sta-

tuum,

^{e)} PETR. a LVDEWIG de opifice in pagis exule. Cap. 3. §. 4. ^{f)} LVDEWIG loc. cit. §. 5. ^{g)} LVDEWIG ibid. §. 5. ^{h)} Voerdae hoc concessum, LVNIG. l. c. P. spec. cont. IV. pag. 410. Francofurto, LVNIG. l. c. pag. 582. Tremonæ ibid. p. 543. Gelnbauæ ibid. p. 806. Hamburgensis ibid. p. 921. Spirensibus LVNIG. l. c. P. spec. cont. IV. p. 2. p. 504. & aliis sexcentis.



tuum, mit wohlsbedachten Mushe, guten Rathen, unserer, und des Reichs, Fürsten, Grasen, Edlen und Gerreuen, ius munitionum, & faciendorum operum, quibus vrbs illorum firmaretur, concessit. Tabulam LVNIGIVS seruauit. ¹⁾

Saxones certe tenacissimi suæ libertatis, multisque iuribus insignibus, & reliquis Germaniæ populis, sciuneti, priuatis iure muniendi, nisi intra certum modum, interdixerunt: fossam duntaxat, sepemque, aut murum, modice altitudinis, fieri permiserunt 3. L. R. 66. cetera suspecta, & periculosa, habuerunt.

Man soll auch keine Burck, noch Stadt vorfesten mit Blancken, noch mit Mauern, noch Berg, noch Thurm bey Dörffer bauen, ohne Urlaub des Land-Richters. Ohn sein Urlaub mag man aber wohl Graben aufwerffen, als tief ein Mann mit seinem Spaden ausschiesßen mag die Erde, also daß er keinen Fuß-Schemmel, noch Gerüste dazu mache: Man mag auch wohl bauen ohne sein Urlaub mit Holze oder mit Steinen dreyer Gaden hoch über einander, einen in der Erden, und die ander zween oben, doch also, daß man ein Thor mache in den niederslen Gaden, über der Erden, eines Knees hoch. Man kan auch wohl befesten einen Hoff mit Zäunen, oder mit Stecken, oder Mauren, als hoch ein Mann reichen mag, auf einem Hoff sitzende: Zinnen und Brustwehren sollen auch nicht daran seyn. Sed si publice incenia ædificanda, vrbesque instituendæ præter principis auspicia. Regis etiam consensum, chirotecæ transmissione declaratum, dum vrbes conderent, desiderarunt. Ita enim vetus iuris Saxonici interpres, 2. R. 26.

Niemand mag neue Märkte, oder Münz erheben, ohne des Richters, das ist, des Fürsten Willen, in des Gerichte es leit: Auch soll der König, durch Recht, sein Hand-Zeichen darzu senden, zu einer Beweisung, daß es sein Wille seyn.

Ex quibus rebus appetet, magnam fuisse, antiquis temporibus, *imperatoris*, in condendis vrbibus, auctoritatem: & *status imperii* ius vrbes muniendi, primo quidem *priuilegiis*, interdum tacita regis voluntate, subinde etiam pactis, & præscriptione, adquisuisse: donec postea, severissimis legibus imperii, pace Westphalica in primis, & pactis cum imperatore initis, & nouissimis capitulationibus, omnes, qui territorii iure vterentur, liberam in instituendis, administrandis, atque muniendis vrbibus, fortalitiis, castellis, potestatem adipiscerentur.

Nos quidem, vt *Saxonia nostra*, dulcissima patria, aduersis omnem vim hostium munita, atque obsfornata, fructu placidissimæ securitatis nunquam omnino careat, & aeternitate vrbium, flore commerciorum, abundantia, & diutiis, ciuium, diuinorum, humanorumque omnium bonorum copia, & facultate, omnes exteros, vincat, & longissime superet, ex animo precamur.

1) LVNIG. Reichs-Archiv. Part. II. cont. IV. v. 2. p. 72.

XIX.



XIX.

DISSERTATIO
V T R V M

HEREDE INSTITVTO
INTRA ANNVM DELIBERANDI MORTVO
SVBSTITVTVS ADMITTATVR?

VITEMBERGAE, AD D. OCTOBR. A. Q. S. P. E. MDCCXXXIV.

§. I.

Natura liberaliter omnibus prospexit, ut nemini facile, quod ad bene *Spes sufficiendum* pertineat, deesse videatur. Quanto rerum minus est, tanto plus sua-*tu*ri *utrum* uitatis ex *spe*, & exspectatione temporis futuri, nascitur: quæ, quamvis fructus *in eius ho-* præsenti careat, tamen, ipsa imagine bonorum, ad quæ contendimus, animos *nisi*. mirifice accedit: & cum alios vel commodatum suarum satietas, & fastidium, debilitet, vel sensus miseriae communis, cum omni felicitatis gradu coniunctæ, frangat, & infirmet, ipsa contra studium & desiderium alit, & blandissime su-*stentat*: effectrix, atque procuratrix, multarum, atque incredibilium omnino, voluptatum. Enimuero, quandoquidem, quæ speramus, plerumque nobis ignota sunt, certe nondum penitus percepta, animoque familiaria, sed a nobis ipso tempore seiuncta; efficitur, vt, quod *PLINIVS*^{a)} ait, quo quis proprius accessit ad *spem* fruendi, hoc impatientius moram ferat, omnes vtilitates animo præcipiat, incommoda, quæ ab illis segregari non possunt, aut nesciat, aut non cogitet, ipsoque sensu bonorum, priusquam hæc ad ipsum peruererunt, ve-*hementius*, quam fructu illorum, cum impetrata sunt, afficiatur.

Igitur is non parum tribuit amico, qui cum res & bona præsentia non possit, *spem* tamen, non omnino vanam, quamvis longam, & remotam, præ-*buit*, tanquam bonum vicarium, & subsidiariam iucunditatem. Illud mouit *POMPONIVM*, vt quamvis nec emtionem, nec venditionem, sine *re*, quæ veneat, intelligi posse docuerit, tamen, cum captus piscium, vel missilium, & quasi *alea*, emitur, emtionem contrahi agnoscat, etiam si nihil incidenterit; quia *spei* emtio sit, quæ & ipsa mercis rationem habere videatur, *l. 8. D. de con-*trah. emt.

Y 3

Sed,

a) *PLIN. VI. ep. t.*



Sed, inter spes alias, nihil efficacius fuit ad Romanum ingenium, quam *spes hereditatum*, quamvis fallax, & incerta, *substitutionibus* duntaxat, & post plures heredum gradus, e longinquo, facta a defunctis, qua fidem amicitiae, & studium amoris, testarentur. Eoimvero Romæ, exemplo Græcorum, quod ex testamento ARISTOTELIS,^{b)} filiæ Nicanorum, & huic alios, substituentis, obseruatur, maxime ob legem PAPIAM^{c)} ne hereditates caducæ essent, aut testamenta destituerentur, innaluit, vt heredes non solum *primos*, sed *secundos*, & *tertios*, & subinde quartos, instituerent, ad quos spes hereditatis per quosdam gradus perueniret. Certe APPIANVS^{d)} *moribus* tribuit consuetudinem substituendi. ἘΔΟΣ ἦν Παμφαλιοῖς, inquit, παραγεάφειν τὸς κληγούμενος ἐτέρος, εἰ μή κληγονομοῦεν οἱ πρότεροι. Et VLPIANVS l. 2. pr. D. de vulg. & pupill. substit. auctor est, *moribus*, id est, prudentum interpretatione, & iure ciuili, introductum, vt quis liberis imuberibus, substituere posset testamento: cum nec lex XII. tabularum testatoribus resisteret, quo minus, utique visum esset, super pecunia sua, & familia, legarent: qua facultate comprehendi etiam videtur potestas, vulgariter substituendi.

Sed *substitutionibus* spes duntaxat hereditatis, apparet e longinquo, continetur, saepius delusa, & magis fortunæ beneficio, quam testatoris iudicio implenda. TACITVS^{e)} in spem secundam vocari substitutos, ait: „quandoquidem Augusti testamentum Tiberium, & Liuiam, heredes habuit: sed, in spem secundam nepotes, pronepotesque, TERTIO gradu primores ciuitatis, inscriperat. „ Cum, contra, qui proximi imperio destinati essent, eodem TACITO teste, spem primam dominandi habeant^{f)} & successore delecto, præne spes aliorum, qui ad imperium adspirent, cokibeantur. g)

Itaque substitutionibus hereditatis spes deferebatur: sed dubia plerumque, & facile euentu caritura: quandoquidem, quamdiu institutus admitti potest, docente VLPIANO, l. 69. D. de adgu. vel om. hered. substituto locus non relinquitur; qui antea succedere non potest, quam excluso herede instituto. Solum igitur spem hereditatis substitutio continet: quæ tantopere animos hominum arrexit, vt segetem & materiam litium multarum pareret, & disciplinam iuris multis dissensionibus, & magna difficultate, perturbaret. Sed infirmat spem substituti PAVLLVS, l. 42. D. de A. R. D. qui, quamvis spes, rei locum obtineat, & vendi possit, tamen substitutionem, quæ nondum competit, id est, cum nondum delata sit hereditas, extra bona nostra esse, affirmat, ad eoque

b) DIOG. Laert. vita Aristot. l. V. segm. 12. sp. p. 275.

c) vid. THOM. Pa-

pillonius de direct. hered. substit. c. 4.

d) APPIAN. de bell. ciu. l. II. p. 132.

e) TACIT. ann. I. c. 8.

f) TACIT. ann. IV. c. 7.

cap. 56.

g) TACIT. annal. III.

eoque

eoque substitutum, qui spem duntaxat deferendæ in posterum hereditatis habeat, locupletiorem esse, aut aliquid omnino habere, negat priusquam heredes primi hereditatem aut repudient, aut adire, & pro heredibus gerere prohibeantur. Quapropter idem alio loco, l. 7. D. de hered. vel aet. vendit. vt hereditas a substituto vendi possit, vix permittit: cum esse debeat hereditas, vt sit emtio: & non alea, sed res ematur; quæ si nulla sit, non contrahi posse emtionem, docet, sed pretium condici.

At vero, nihil certius, quam esse aliquid boni, quod statim perueniat ad substitutum: vt illud *spei*, quod substituto tribuitur, non solum in *bonis* substituti esse, sed etiam vendi posse, videatur. Audiamus V L P I A N U M l. 11. D. de hered. & aet. vend. qui, hoc modo, inquit, admittitur venditio, si quæ sit hereditas, esto tibi emta: cum quasi *spes* hereditatis, & ipsum incertum rei, veneat, vt in rebus, & in venatione. Cum quo etiam consentit I A V O L E N V S l. 10. D. de aet. & hered. vend. qui admittit venditionem, vt, si quid iuris esset venditoris, veneat, & ad emtorem transferatur: quamvis enim ad venditorem hereditas non pertinuerit, nihil tamen, ait, eo nomine praestari: quia id actum esse manifestum sit, vt quemadmodum emolumen-
tum negotiationis, ita periculum, ad emtorem pertineret. Imo vero ipse P A V L L V S l. 13. D. de hered. & aet. vend. probat hanc conventionem: „vt quid iuris haberet venditor, emtor etiam haberet; & liberari, ait, venditorem, quamvis hereditas ad illum nunquam perueniret.“ Ex quibus rebus, appareat, non omnino nullam esse spem hereditatis, quæ pertinet ad substitutum: sed illam eatenus esse in bonis, quatenus & spes ipsa commoditatis futuræ cum fructu aliquo voluptatis conjuncta est: ideoque etiam vendi posse spem substituti, quatenus ille, qui vel aleam emerit, non rem omnino vanam emisse creditur. Quod vero P A V L L V S l. 42. D. de A. R. D. substitutionem extra bona esse affirmabat, eo pertinet, vt substitutio *bonum præsens*, quod pleno iure possideatur, & quod spei l. 8. D. de contrah. empt. opponitur, dici nequeat: cum is demum, docente M O D E S T I N O l. 52. D. de A. R. D. rem in bonis habere intelligatur, qui possidens exceptionem, aut omit-
tens, ad recuperandam eam, actionem habet: cum, contra, propter incerti-
tudinem casuum humanorum, illa, quæ nondum penitus adquisita sint, non omnino nostra videantur. Illud expeditum est, substitutum, nisi ipse viuus adierit, ad heredem non transferre substitutionem: l. 81. D. de A. vel omitt. hered. & nihil iuris emtorem retinere, si non ipse substitutus hereditatem, sibi delatam per gradus, adquisuerit aditione.

§. II.



§. II.

Quousque dures spes substituti. Igitur *spei* dntaxat voluptate substitutus vtitur, donec ipsi hereditas, remoto instituto, deferatur. Imo vero etiam interdum *superstite*, & *volente* instituto, heres videtur, & primo hereditatem subripit, si nulla sit primi gradus institutio, sique testamentum, quoad illum gradum, infirmetur. **P A V L U S** enim *l. 43. §. 2. de vulg. & pupill. subst. in testamento*, quo quis vxorem heredem instituerat, filiis, quos in potestate habebat, substitutis, eum gradum, quo liberi præteriti sint, nullius momenti esse, ait; sed, quia filii tamen substituti sint, illos ex testamento heredes extitisse, cum non totum testamentum liberi, sed illum dntaxat gradum, qui ab initio non valuerit, infirment. Igitur liberi substituti, etiam volente instituto, admittentur.

Ceterum, si adire voluerit institutus, plerumque exspirat vulgaris substitutio. Enimuero, si **H E R M O G E N I A N U M** audiamus, *l. 12. D. condit. inst. in voluntaria heredis persona, res fere in heredis arbitrio posita, & illa verba: primus, si volet, heres esto, superuacua videntur; cum, etiamsi non sint addita, innitus heres non efficiatur.* Itaque *volens* heres primus excludet substituti *spem secundam*: sed, nec voluntate tamen sola, hereditatem primus adquiret, nisi efficaciter voluerit, & conuenienter negotio, indicioque luculento acceperit hereditatem: gerendo pro herede, aut hereditatem adeundo. Neque enim sufficit, si paruerit conditioni, sub qua institutus est, nisi animo, *gerendi pro herede*, impleuerit iudicium supremum testatoris. **A N T I S T I V S L A B E O** certe, teste **I A V O L E N O**, *l. 62. D. de A. v. O. hered.* heredem primum, sub conditione, si *iurabit*, institutum, quamuis iurauerit, non statim heredem futurum, ait, antequam pro herede aliquid gesserit: quia iurando voluntatem magis suam declarasse videatur: quamvis **P R O C V L Y S & I A V O L E N V S** institutum, si, vt heres, iurauerit, admittant.

Ergo expeditum est, aditione instituti inprimis, aut pro herede gestione, non nuda voluntate, excludi substitutum: certe, non, nisi excluso instituto, hereditatem substitutis omnimodo deferri, *l. 69. D. de A. v. O. hered.* Sed videamus, an non interdum locus substituto detur, quamuis institutus adierit, si appareat, illum non recte, neque ex voluntate testatoris, adiisse. Ita **V L P I A N O** *l. 6. pr. D. de hered. inst.* atque **P A V L O** *l. 72. D. de A. v. O. her.* visum est, qui, si conditione institutionis *dies adiectus* sit, intra quem adeat hereditatem, vel Capitolium adscendat, isque non paruerit conditioni, substitutum continuo admittit. Igitur tunc demum, si *heres primus* voluerit, & *tempeslive*, atque & iussu testatoris, voluerit,

ex-

extenuatur atque evanescit spes heredis substituti. Interdum tamen, etiam si **primus** efficaciter adierit hereditatem, spes substituti sustinetur. Neque enim dubito, si minor viginti quinque annis hereditatem damnosam adierit, & in integrum restituatur, admitti substitutum. **GAIUS** enim l. 57. **D. de A. v.** omitt. **her.** auctor est, minores, si temere damnosam hereditatem appetierint, ex generali praetoris edicto de minoribus viginti quinque annis, in integrum restituendos. Sed restitutio, praecipiente **PAVLO**, l. 24. s. 4. **D. de min.** ita facienda est, ut unusquisque **integrum ius suum** recipiat, quasi infectum fieret, quod temere a minore factum esse intelligeretur. Quam praetoris aequitatem commendat vox naturae, quae non patitur, temeritate adolescentuli, a qua resipiscat, ius suum cuiquam interuerit: commendat etiam ultimarum voluntatum fauor, quibus obtemperandum est, si vel subtili iure infirmentur. Enim uero nihil magis iudicio testatoris conuenit, quam deferri hereditatem substituto, quae ad heredem primum non perueniat, aut non prospicit heredi instituto; cum contra, si, post restitutionem primi, excludatur etiam secundus, destituatur testamentum: quod ne accidat, inuestigata sunt, moribus, heredum substitutiones.

Subit mirari, quid in mentem venerit **HUBERO**,^{b)} qui cum **STRUVIO**, de illo arguento, item serio exercet. Quod enim **DIOCLETIANVS** & **MAXIM.** l. 5. **C. de impub.** & al. subst. „post aditam hereditatem directas „substitutiones, non imponeribus filiis factas, exspirare, aiunt, de aditione efficaci accipiendum est, quae non postea irrita, & infecta esse iudicatur: quum hereditas, quae temere adita fuit a minore, singatur, omnino non adita fuisset. Neque **PAPINIANVS** nos perturbat, qui l. 2. **D. de success.** edict. ne cognatum quidem inferioris gradus, ad possessionem bonorum admittit, quam prior cognatus acceperat, quamvis prior, ob auxilium aetatis, deinde abstineat hereditate. Enim uero recte obsernat **THOMAS PAPILLONIVS**ⁱ⁾ illud ius singulare, in favorem fisci introductum, non latius, neque ultra cognatos, bonorum possessionem ex testamento petentes, ad substitutos testamento producendum. Diserte enim **SCAEVOLA** l. 44. **D. de re iudic.** docet, bona defuncti, postquam tutores pupillum, qui illis auctoribus antea pro herede gesserat, abstinebunt bonis paternis, *ad substitutum* peruenisse: ut dubitari non possit, etiam post restitutionem primi, secundo dari facultatem, ad ius heredis adspirandi. Quae ex l. 7. s. 10. **D. de min.** obiiciuntur, subtiliter **ANTONIVS FABER**^{k)} **PAPILLONIVS**, loco supra excitato, diluerunt.

Macer tamen l. 61. **D. de A. v. O. hered.** & **DIVVS SEVERVS** fortius resistunt, qui ne coheredem quidem, cum minor annis, qui heres ex parte extit,

^{b)} **HUBERVS** ad digest. XXVIII. 6. p. 286 sqq.

ⁱ⁾ **PAPILLONIVS** c. 9.¹ de direct. hered. subst. p. 715. in thes. Ottonis t. IV.

^{k)} **ANT. FAB.** l. III. conjectur. c. 4.



tit, in integrum restitutus est, cogendum censuerunt, ut eius partis onus suscipiat, sed creditoribus bonorum possessionem dandam esse, iudicarunt. Sed huic respondeas, nemini quidem inuitio, per restitutionem minoris, incommodum asserri posse, quod iuris necessitas ipsi non antea imponat: sed neque per additionem temerariam, quae per restitutionem infirmatur, cuiquam ius suum extorqueri; quod cuique integrum manere, etiam post restitutionem, **PAVLVS I. 24. §. 4. D. de min.** præcepit.

Itaque non admittetur substitutus, postquam primus adiit hereditatem, nisi hic in integrum restituatur; sed exspectandum est tempus, quo prior vel nolit, vel non possit, adquirere hereditatem. Docet enim **VLPIANVS I. 3. & I. 69. D. de A. v. O. hered.** quamdui prior heres institutus hereditatem adire possit, substituto hereditatem non deferri; illa enim demum hereditas, teste **TERENTIO CLEMENTE I. 151. D. de V. S.** delata videtur, quam quis consequi possit adeundo: quod substituto, nisi excluso instituto, non licere, supra fuit comprobatum.

Sed quamvis spe exigua atque extrema pendeat ius substituti, non tamen spem hereditatis abiiciet, donec certo constet, heredes primos hereditatem adiisse; aut si spem antea dimiserit, illa, quandocunque visum est, redintegrabitur, donec hereditas peruenerit ad institutum. Negat enim **VLPIANVS, I. 13. §. 2. D. de A. v. O. hered.** repudiationem aliquid valere, si substitutus *antea repudiet*, quam heres institutas decernat de hereditate. Quod & **PAVLO I. 18. D. eod.** placuit, cui is demum repudiare posse visus est, qui possit adquirere hereditatem.

Ex quibus rebus intelligitur, pendere spem hereditatis, neque omnino accidisse, donec expeditum sit, primos acquisuisse ius heredum, adeundo. Ali quando tamen eveniet, vt, quamvis primus non adierit, secundus excludatur. Fas enim, primum in patris potestate fuisse constitutum, & patrem adiisse, filio inuitio, & repudiante. Excludetur tamen substitutus, cum filio familias delata hereditas, parenti eius etiam quodammodo delata videatur. Ita enim **IVSTINIANVS I. vlt. pr. C. de bon. que lib. rem definiuit:** quidquid **THOMASIS¹⁾ & WISSENBACHIVS²⁾** legi manifestæ obloquantur: cum pater, filio etiam inuitio, additione, aut pro herede gestione, quodammodo adquirat delatam filio hereditatem. Certe, etiamsi non adierit hereditatem institutus, tamen, si substitutus etiam decesserit; **MARCIANVS I. 9. D. de suis & legit. her.** docet, substitutionem ad heredes substituti non transferri, sed exspirare morte substituti: quod & **EMUNDVS MERILLVS³⁾** in libro *de iure accrescendi* obseruauit, & supra a nobis fuit indicatum. De quo videbatur le-

ctor

¹⁾ THOMAS. sch. ad Hub. pand. I. 28. 6. §. 2. p. 289.

pondet. disp. 56. th. 17.

apud Ottopen. t. IV. p. 1759.

²⁾ WISSEN. p. I.

n)

³⁾ EMUND. MERILLVS de iure accrescendi c. 4.



Etor admonendus, vt deinceps de ipso argumento, quod tractamus, facilius constiatur.

§. III.

Igitur, quandiu spiritum hunc ducet substitutus, alet spem hereditatis deferendae; quæ tandem implebitur, cum constabit, heredem primum non voluisse adquirere hereditatem, adeundo. Hic enim, si ipse non voluerit adire, exceptis liberorum personis, hereditatem non aditam, auctore **PUSTINIAN** OU *l. vn. s. 5. & 13. D. de caduc. tollend.* ad heredes non transmittit; sed locum facit substituto. Quapropter **VULPIANVS**, *l. 69. D. de A. vel O. hered.* non longius arcet substitutum, quam, donec constet, institutum non admitti; & huic, nisi aeat, aut pro herede gerat, eiusque heredibus, ait, denegandas actiones. Sed quoique heredem secundum expectare iubebimus, vt intelligatur, heredem primum non voluisse ad hereditatem peruenire? **PAVLLVS** quidem heredem primum, cui, testamento, *tempus*, intra quod aeat hereditatem, hac lege, *præstitutum* sit, vt si intra illud non adierit, ipsi alius *substitutatur*, putat, non voluisse adquirere hereditatem, si, intra dies definitos, nec adierit, nec pro herede gesserit, qui fuit institutus, *l. 72. D. de A. v. O. hered.* Igitur secundus admittetur, si primus conditioni temporis, ipsi adiectæ, non parebit. Sed faciamus, primum intra illud tempus decesse, quo debebat decernere de hereditate, & conditionem adimplere. **PAVLLVS**, ait, *d. l. 72.* neminem omnino dubitare, quin substitutus non soleat ultimum aditionis diem expectare. Itaque apparet, non videri voluisse hereditatem adquirere, qui deceserit intra tempus aditioni destinatum. **DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS** *l. 7. C. de iure delib.* longius procedunt, & illum etiam non voluisse heredem fieri, indicant, qui ne quidem cognouit, sibi hereditatis aliquid relictum, sed, antequam pro herede gereret, aut bonorum possessionem admitteret, decepsit; aiunt enim, illum defuncti successionem ad heredes suos transmittere non potuisse. Quod & **PAPENINIAN** VS, *l. 86. D. de A. vel O. hered.* approbavit, qui illorum dyntaxat heredes, qui rei publicæ causa absentes fuerant, & antea vita deceserant, quam heredes se institutos cognoscerent, humanitatis causa, censuit ex persona defuncti in integrum restituendos. Ausim affirmare, illud etiam heredibus militum esse tribuendum, vt restituantur, si miles, iuris ignorantia deceptus, priusquam adiret, deceserit intra tempus definitum: **PAVLLVS** enim *l. 9. D. de iuris & facti ignor.* etiam, quod ad aditionem hereditatis attinet, militi ius ignorare, ex constitutionibus principalibus, permittit: vt dubitari non posit, heredes eius, ex persona militis, restituendos.

Sed haec iure singulari, fauore laudabilis absentie, itemque militie, obtinuerunt. Ceterum, qui priusquam adiit, intra tempus definitum testamento, vita decepsit, videatur non voluisse heredis iura impetrare. Possem discedere ab hoc argumento, satis expedito, nisi **VULPIANVS** turbas daret, qui negat, il-

Quando
volle definat
heres insti-
tutus.

Jun



Ium nolle adire hereditatem, qui non potuit adire. *l. 4. de A. H.* Videtur enim, qui antea decepsit, non potuisse adire, intra tempus definitum, ideoque nec omnino noluisse. Magis etiam rem impedit **PAPINIANVS**, qui *l. 101. pr. D. de condit.* &³ demonstr. ait, *non noluisse nubere*, quæ priusquam viri potens fieret, morte conditionem nuptiarum anteuertit. Ideoque excludit legatum secundum, qui in hunc casum substitutus est, si nubere puella noluisse. Præterea idem, quem antea adduxi, **VLPIANVS** alio loco, vehementius resistit, qui seruum vicarium, si ab alio fugitiuo inuitus abductus, occasionem redeundi non accepit, non putat, reuerti *noluisse*; sed tunc demum, non potuit reuerti. *l. 17. §. 7. D. de æd. edit.* Certe **SENECA**^{o)} illum omnino *velle*, in cuius naturam non cadit, *nolle*, dubitandum non putavit. Ex quibus videtur colligendum, *primum* hereditatem non repudiasse, qui, præuentus morte, non significavit, se accipere hereditatem, adeoque substituto locum tunc non fieri, sed, ad *heredes primi*, successionis commoda transferri. Verum, ab his quidem non adducor, vt eum, qui, antequam adiret, intra tempus præscriptum, deceperit, existimem hereditatem transmisisse. Enimuero largimur, *non omnino noluisse*, qui non potuit adire, neque puellam, quæ nubendi conditionem non accepit, nec tempus nuptiarum attigit, pœnæ locum fecisse, quæ in illum casum constituta erat, si nubere puella noluisse: faciamus etiam, seruum vicarium non indignum venia videri, qui non occasionem reuertendi naestus est: adeoque illum non recte accusari, quod *noluerit* reuerti. Vltro concedimus, vietas manus damus, profitemur: *non noluit* adire, qui decepsit intra tempora aditionis. Verum, vt hereditas transmitti possit, non sufficit, *non noluisse* heredem primum adquirere hereditatem, sed, vt etiam *voluerit*, vtque tempestive *voluerit*, desideratur, vtque luculento indicio prodiderit decretum suæ voluntatis. Quod **LABEO & PROCULVS & IAVOLENVS** *l. 62. D. de A. vel omitt. hered.* comprobarunt. Certe **POMPONIVS** *l. 4. D. locati*, facile agnoscit, quod *velle definat*, qui e vita emigravit: tantum abest, vt credamus, *velle* illum *incipere*, dum moritur, qui antea dissimulauit voluntatem. Neque quenquam facile, quod **SENECA**, loco supra indicato, philosophatus est, perturbet. *De sapiente viuo* disputauit, qui, quod melius sit natura, *nolle* penitus non possit: adeo, cum alterutrum eligere debeat, ac possit eligere, *nolle* autem meliora, in ipsum penitus non cadat, *velle* eum meliora, iudicavit. Alter de illis sentiendum, qui nec debent eligere, nec possunt, postquam vita deceperunt. Hos enim *velle* adquirere hereditatem, quamvis nec *nolle* in illos cadat, nemo dixerit, cum neutrum ad illos pertinere videatur.

§. IV.

Naturalis ratio heredi- Non videbitur ab instituto alienum, si comprobauerim, testatorem, cum de eius voluntate quæritur, potius substituto, quam instituti heredibus, prospctum

^{o)} **SENECA**. *l. VI. de benef. c. 21. f.*



specium voluisse. Hoc intelligetur, si memoria repeatas, quo animo testatores, *bus instituti* quo consilio, cōperint *substituere* heredi instituto. Et nemo quidem negat, il- *præfert sub-*
lud in primis agi substitutionibus, vt ne ad successores ab intestato perueniat titutos.
 hereditas defuncti: aut ne caduca sit, ob legem PAPIAM, aut ne bona a cre-
 ditoribus nomine defuncti distrahantur; sed vt personas, quas dilexit, in quibus
 spem, & fiduciam collocauit, blande afficiat testator, & memoriam sui, benefi-
 cio hereditatis, etiam in posterum confirmet. Videberis victoriam heredibus im-
 petravisse, cum, si ad *heredis primi* successores, spes hereditatis, & facultas adeun-
 di, deferatur, eadem omnia obtineri possint, quæ testator voluit, vt neque he-
 redes eius ab intestato bona possideant, nec creditores, nec fiscus, facile inuola-
 re possint in messem alienam, ad quos arcendos diximus inuentas substitutiones.
 Verum enim vero, non illud quæritur, quomodo excludi possint successores le-
 gitimi, & fiscus, atque creditores; sed quomodo testator illos voluerit excludi.
 Illud igitur ex amore colligendum est, quo duce testator constituit quosdam
 gradus, & ordines, heredum.

Nihil expeditius, quam testatori suos potius *amicos*, quos iudicio elegit,
 quibus familiariter usus est, quos instituit, quos substituit, quos suos esse voluit,
 commendatos fuisse, quam *heredes amicorum*, quos sors nascendi obtulit, quos
 testator plerumque oculis non vidit, qui de illo nunquam meriti sunt, quos nul-
 la officia, nulla necessitudo, nihil, quod animos hominum obstringit, & con-
 glutinat, nulla vincula amicitie humanæ, cum testatore coniunxerunt.

ISOCRATES /) quidem, vt patrimonii, ita amicorum, hereditatem vo-
 luit ad liberos amicorum, & heredes, quodammodo transmitti. Verum, iam
 non, quid pulchrum, quid præclarum sit, disputatur, sed facti quæstio est, &
 quid voluerit testator. Verum, quis non videt, quantum repugnet voluntati
 testatoris, si hereditas ad heredes primi heridis, non adeuntis, perueniat. Cui
 non ante oculos versatur TIBERIVS, qui matre mortua, omnes familiaritates
 pristinas, intra breve tempus, affixit, & deseruit amicitias paternas, & mater-
 nas. ① Quis nescit, quantum sæpe degenerent, & deficiant, a maioribus he-
 redes? quam facile, si heredibus heredum bona nostra relinquerentur, illa ad
 indignos pernentura essent, ad stipites, ad truncos, ad molestissima onera ter-
 rarum. Quis ignorat, quod facilis inimicitiae paternæ, quam familiaritates,
 & amores, ad heredes transferantur. ② Quis igitur credit, testatorem incer-
 tos heredes primi heridis, amico substituto, cuius fides ipsi approbata fuit,
 prætulisse. Heredes a sanis testatoribus, amore, & iudicio, plerumque deli-
 guntur. Sed magis probabile est ad fidem, testatorem, heredes primi & se-
 cundi gradus, quos cognovit, atque nominauit, amore, & iudicio suo, proba-
 nisse,

p) ISOC. ad Demon. c. I.

MAX. V. 4. 14.

q) SVETON. in vita Tiberii, c. 52.

r) VAK.



nisse, quem heredis primi incertos, & s^epē degeneres, heredes. Certe testator; qui heredes heridis primi impensis dilexisset, quam heredem substitutum, potius heredi primo suos heredes substitutos daturus fuisset primo loco, quam ipsum substitutum, quem maluerit cedere heredibus heridis. Illud enim familiare fuisse testatoribus, vt, si liberos heridis primi praeferrent substituto, liberorum heridis mentionem iniicerent in ipsa institutione, ex responsa SCAEVOLAE l. 85. D. de hered. inst. intelligitur. Aut, si heredibus primi heridis potius, quam substituto, voluisse prospicere testator, nonne fuisset comodius, heredem primum, in casum, si sine liberis decederet, fideicommissio onerare, vt hereditas potius ad heredes heridis, quam substitutum perueniat, & tunc demum, si primus heres sine liberis moreretur, substituto hereditas restituatur. Enim vero testator, qui liberos heridis primi maiori quam substitutum amore complectetur, inepte illos in substitutione praeteriret, & solius substituti mentionem ficeret; qui, herede primo ante testatorem mortuo, sine dubio excluderet heridis primi successores, quos tamen testator, si opinionem vulgarem sequimur, praeulisset substituto. Ex quibus rebus apparet, testatorem, qui primo heredi, in casum, si ipse heres non fuerit, non suos heredes, sed alium, substituit, omnino maluisse, vt hereditas, si primus non adiret, ad substitutum potius, quam ad heredes heridis primi, perueniret.

§. V.

*An ius de-
liberandi ad
heredes pri-
mi heridis
transmitta-
tur.*

Igitur illud caret dubitatione, mortuo herede primo intra illud tempus, intra quod testator ipsum de hereditate decernere iubebat, non heredes primi, sed substitutum admitti ad hereditatem. Nunc videamus, ad quem spectet hereditas, si non a testatore spatium deliberandi, intra quod heres primus adeat hereditatem, constitutum, sed, si primus intra tempus a praetore, vel lege, definitum decesserit, priusquam adiret hereditatem. Enimuero, si nemo instet, & vrgeat, per triginta annos, quibus petitioni hereditatis prescribitur, permisum est deliberare. Sed, si heres primus nequit moras, &, per tempus longius, incertum relinquat substitutum, VULPIANVS l. 69. D. de A. vel. om. hered. ait, necessarium remedium praetoris, vt & primo heredi, & dein secundo, postquam primi tempus praeteriit, ipsique hereditas delata est, & subinde etiam tertio heredi, tempus praestituat, intra quod quisque deliberet, quid sibi expedire videatur: quo elapsō, illis, nisi aut adierint, aut pro herede gesserint, ab ipso denegantur actiones. Solebat itaque praetor, teste POMPONIO, l. 23. §. 1. D. de hered. inst. tempus praefinire, intra quod adeatur hereditas, ne res in infinitum protrahatur: quod spatium plerunque semel, nonnunquam vero s^epius constituebatur, si praetori, secuto aequitatem, suaderetur, tempus, quod primum praestituerat, non suffecisse. Fac igitur, decedere heredem primum, dum deliberet de hereditate intra tempus praeinitum. Certe PAULLVS l. 72. D. de

de A. vel. om. hered. generatim præcipit: „si prior decesserit, neminem dubitare, quin substitutus diem ultimum aditionis non teneatur exspectare.“ Sed nemo ignorat, tempus aditionis, esse tempus, a testatore aut prætore, aut, legge definitum. Itaque exclusis heredibus heredis primi, defertur successio heredi substituto, illique præsumitur tempus, intra quod & ipse decernant de hereditate.

Quo iuris civilis præcepto nihil esse æquius, supra est a nobis disputatum. Neque enim videtur interesse, vtrum spatiū a testatore, an a lege, & prætore, heredibus præsumatur. Res non indigeret disputatione, nisi illa non nihil constitutionibus principum mutata videretur. IVSTINIANVS enim l. 19. C. de iure deliber. illum duntaxat, qui intra anni spatiū, postquam cognovit, hereditatem sibi delatam esse, nec adierit, nec pro herede gesserit, non patitur transmittere ad heredes ius deliberandi: contra, illorum, qui durante anni tempore mortui sunt, heredibus reliquum tempus pro adeunda hereditate, relinquit, quo finito, ad hereditatem nondum aditam, non pateat regressus. Ex quo loco videtur colligendum, heredes substitutos, si primus intra annum deliberationis decesserit, non admitti ad successionem; sed illis, donec heredes heridis primi annum lege definitum impleuerint, exspectandum: hos vero, si intra hoc tempus nec adierint, nec pro herede gesserint, locum facturos substitutis: si vero hereditas eis non damnosa videatur, ab ipsis adquiri posse hereditatem adeundo, & substituti spem decipi, & interuerti. Sed, quamvis res impedita videatur, tamen magis est, quod credam, non tribui heredibus primi ius deliberandi, quo possit excludi substitutus. Nimurum ius deliberandi quidem ad heredis heredes etiam transmittitur, vt heredes, docente POMPONIO l. 36. D. de A. vel. om. hered. succedunt in omnia iura, & nomina defunctorum. Sed, quis credit, iura etiam illa, quæ personam non egrediuntur, & persona extinta, continuo extennantur, & exspirant, transmitti in heredes. Enimvero, dato substituto, manifesta est voluntas testatoris, quod, nisi heres primus ipse adquisuerit hereditatem, non heredes heridis primi, quos non substituit, sed substitutus debeat admitti ad hereditatem: cum probabile sit, testatorem, si heredes heridis substituto prætulisset, illos potius, quam hunc, heredi primo daturum fuisse substitutos. Itaque cum de voluntate testatoris hoc casu dubitari nequeat, quod substitutus heredibus heridis primi præferatur, adeoque hoc ius heridis primi, quod hereditatem adeundo acquirere possit, hoc casu, personam eius non egrediatur, nemo dixerit, IVSTINIANVM voluisse, vt voluntas testatoris eludatur. Id egit IVSTINIANVS, vt caueret, ne substituerentur testamenta, & caducæ essent morientium hereditates: quod ex tota lege unica C. de caduc. toll. intelligitur. Hoc vt efficiat, non voltuit hereditatem, si heres intra annum deliberandi moriatur, interuerti, sed etiam heredibus illius spatiū dari, quo deliberarent. At vero dato substituto, non est,

A a 2

quod



quod facile timeat, ne testamenta destituerentur, aut caducæ fierent hereditates. Igitur cessabit illa deliberatio heredum, fine legis hic cessante; cum appareat, non ipsis testatorem, sed, si primus deceperit, substituto prospexit. Præterea lege generali, quæ in heredes transmittit ius deliberandi, credi non potest, derogatum esse legi speciali 72. *D. de A. vel. Om. hered.* quæ personale ait esse ius heredis primi, dato substituto: ideoque, si heres prior, antequam adierat, deceperit, intra tempus præsinitum, ad successionem vocat substitutum, & non vult dubitari, quin substitutus non teneatur exspectare diem ultimum aditionis. Itaque nouæ constitutioni imperatoris, qua legibus anterioribus specialiter non detraxit, in illis tantum speciebus locus relinquetur, de quibus non antea lege speciali cautum fuit: id est, tunc, cum heredi non datus testamento substitutus ius deliberandi transmittetur ad heredes. Quod tanto facilius fidem inueniet, si cogitabis, quod *H V B E R V S*^{s)} obseruauit, spatium deliberandi successisse in locum veteris illius *creationis*, cuius tempus testatores sub pena exheredationis præscribebant. Sed, si heres primus non *creuerit*, nec pro herede gesserit, testatur *V L P I A N V S* tit. 22. §. vlt fragm. itemque *P A A L V S* l. 72. *D. de A. vel Om. hered.* admitti substitutum. Illud non inuenio mutatum a *I V S T I N I A N O*.

§. VI.

*Odiosum
est ius deli-
berandi.*

Imo vero odiosum est *I V S T I N I A N O* ius deliberandi, & si illud vel subtili iure pertineret ad heredis primi successores, tamen stricte interpretandum esset, eique derogandum, in tam luculenta voluntate testatoris. Ait enim imperator, l. 22. §. 13. *C. de iure delib.* inuesti iure inuentarii, superuacuum videri *ius deliberandi*, & debere ei derogari: cumque sine damno, & adiri possit hereditas, & ab illa etiam discedi, locum deliberationi non relinquere: sed, si quis hoc ius impetrare studeat, illum *vana formidine* moueri, aut callida machinatione usum censeri. ideoque illi a indicibus nouem duntaxat menses, ab imperatore, annum, indulgeri: rem fere indignam & suspectam esse, si quis desideret spatium deliberandi. In tanto huius iuris odio, quis credit, aequissimum leglatorem permittere, ut, eius obtentu, voluntates testatorum, & leges sapientissimæ maiorum, quæ substitutum heredibus heridis primi, qui non adierat, præferri voluerunt, eludantur. Sibi imputet, qui usus iure odioso, & superuacuo, atque suspecto, extorsit suis heredibus spem hereditatis, quam potuisse commodius, priusquam moreretur, adquirere aditione, & ad suos propagare.

Cetera, quæ solent obicii, illis argumentis, quæ adhuc adducta sunt, facilius expedientur.

s) H V B. ad inst. l. II. tit. 19. §. 4. p. 240.



Index diff. huius fasc.

- XX. *Ius obsidum inuitorum & citra conuentioneum cum aduersa parte capitorum atque retentorum, ex LL. Rom. Gent. & S. R. I. publ. disputab. auct. Hier. Fried. de STAMMER, Eques Lusat. Vitemb. d. Decemb. 1734.* pag. 539
- XXI. *Præsumptionem æqualitatis in iudiciis diuisoriis & actione negotoria, ad L. 7. D. de fin. regund. defend. Andr. HARTMANN, Pratovallenensis; ibid. d. Maii 1735.* pag. 562
- XXII. *An conditio quæ propter casum impleri nequit pro impleta habeatur? ad conciliandas leges aduersas XXXI. D. de condit. & demonstr. & Liu. §. 1. D. de leg. i. disputab. Io. Dan. PVSCH, Torgauiensis; ibid. d. Sept. 1735.* pag. 585
- XXIII. *Obseruatt. miscellae de monumento secundum voluntatem testatoris faciendo, ad L. 14. §. 6. D. de relig. defend. Io. Chph. BRENDL, Hartmannsdorf. ibid. d. Oct. 1735.* pag. 595
- XXIV. *Obseruatt. de reditibus annuis leuiori moneta solutis, defend. Chr. Andr. VLLMANN, Pratovallenensis. Ibid. d. 31. Dec. 1636.* pag. 612
- XXV. *Priuilegium pecuniae ad certum usum creditæ ex animo dantis æstimandum, ad L. 7. D. de exercit. actione; defend. Io. Christlieb EBERT, Dresdenensis. Ibid. d. 15. Dec. 1736.* pag. 623
- XXVI. *Obseruatt. quasdam forens. de senatoribus & quatenus ex eorum factis ciuitas teneatur? proposuit ac defendit auctor Io. Chph. LENDRICH, in Cancell. Reg. & El. itemque Martisb. Sax. Adv. immatric. & ciuit. delit. Syndicus. Ibid. ipsis Kal. Febr. 1737.* pag. 641
- XXVII. *De iure militis auxiliarii apud gentes liberas & in S. R. Imper. defendit Io. Christ. STRENG, Delit. Misn. Ibid. d. Febr. 1737.* pag. 660
- XXVIII. *Quando curator absentis heredes æque propinquos a successione excludat; disputauit Dav. Gottwalt TISCHER. Coldit. Misn. Ibid. d. 6. April. 1737.* pag. 690
- XXIX. *Obseruatt. de animo nouandi factis expresso. Ad L. 8. C. de nouat. defendit Fried. Gottl. TISCHER, Coldit. Misn. Ibid. d. 24 Apr. 1737.* pag. 707